







DE ARISTOTELIS IN HOMINUM EDUCATIONE PRINCIPIIS

SCRIPSIT


SALOMON LEFMANN

PHIL. DR.

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI

MDCCCLXIV.


HARVARD COLLEGE
SEP 21 1898
LIBRARY

FRIDERICO ADOLPHO TRENDELENBVRGO

SACRVM.

Studiorum primitias TIBI, VIR ILLVSTRISSIME, sacras esse volui, qui scholarum TVARVM alumnus summa TVI caritate commovear. Quem quo me praestare potuerim melius quam eo quod clarissima TVA quae animo insevisti exemplaria et documenta ipse industria ac diligentia persequar. Quo praesertim id pertinet quod optumarum rerum studiosos ad optumos TECVM vocare soles auctores, ex quorum doctrina animi fieri videatur libertas atque claritas, eae quas doctorum hominum proprias esse philosophi semper voluere. Itaque TE duce ad Aristotelem accessi, qui usque ad nostram aetatem

iure ac magis magisque summa valet auctoritate, ad quam haud exiguum id contulerit, quod tot et tantas gravissimi ponderis res uno et summo ingenio conplexus est, qui et logica pepererit nec deseruerit naturalia aut moralia. Atque haec moralia quidem Aristotelis scripta omni studio amplexus, cum quae ad humanam educationem praecipue spectant respicerem, voluptatem ante omnia pertractandam suscepi, ex qua homines ratione imperatrice velut ex intuma animi commotione ad summam honestatem egredi videantur. Sed uti fieri solet ex operando opera exsistit: aliud alio requiritur, alio aliud sustinetur. Ex finis cogitatione omnium rerum ordini propositi beatitudinis illa deprompta est doctrina, unde adparet cum singula omnia quem in hominum educatione teneant locum, tum maxime voluptatis vis quantum valeat ad homines

educandos. Hoc vero quaerenti aliud mihi mox subesse visum est, quaerere quae Aristoteles omnino in hominum educatione habuerit principia. Quibus investigandis non dubitavi quin et eis quas de educatione habemus reliquiis aliud quodam modo maiusque pretium constitui et angustior cum tota eius philosophia conexus aperiri posset. Namque partes mecum considerans eas quae philosophi nostri sententia ad homines iuste educandos convenire debent, aliquid confici posse existumavi, si naturae ex parte Physices ac maxime de anima qui sunt libri, rationis ex parte Logices ac Metaphysices una cum Ethicis ac Politicis adhiberentur. In quibus rebus perscrutandis ac perficiundis TVO nonnumquam, VIR DOCTISSIME, ex ore TVIS que ex scriptis consilia accepi, quibus usus, cum ineundi viam commonstrarent, melius invenire et consequi

potui vestigia ab ipso Aristotele ubicumque ad summam virtutem perducere voluit homines inpressa. Sic denique, ut alia taceam, commentationem conscripsi, quam egregia TVA liberalitate atque animi qua es indulgentia fretus iudicio TVO subicere ausus sum. Atque nunc demum totum libellum in publicum editurus nihil habeo antiquius quam ut TIBI, VIR ILLVSTRISSIME, non displiceat quod monumentum esse volui meae in TE pietatis. Quod si fiet, paullulum ad amplificandam disciplinam me contulisse possim sperare.

Scribebam Berolini Cal. Augustis MDCCCLXIV.

> „Bildung der Menschen zur Wahrheit, du bist Bildung ihres Wesens und ihrer Natur zu beruhigender Weisheit."
>
> (Pestalozzi, Abendst. eines Einsiedlers.)

Si verum est quod dicunt mentem humanam usque progredi ad perfectionem, perfectionem autem vel explicationem eius quod in nobis naturaliter inesse videatur, non tam naturae esse quam artis cuiusdam quae expediat et conformet eas res, quarum illa dederit quidem materiem formam vero proposuerit: nil pro certo habemus angustiore conexu artiusque ullo tempore coniunctum esse atque contextum cum singulorum et omnium vita moribusque quam educationem atque semper illas cognosci posse ex ratione qua haec sit constituta. Quamvis igitur aucta sint atque annis volventibus dilatata ea quae eruditione culturaque humana comprehenduntur: sunt tamen certae quaedam, ut ita dicam, sententiae primariae, ideae, quae scientibus nobis vel nescientibus in his rebus praevalent et, cum sint verae, permanent, etsi mutantur tempora intereuntque homines nationesque unde illae ad nos sunt perlatae. Fuerit denique libertas, unde eluxit veterum Graecorum ingenii abundantia, vel pulcritudo vel utraque, altera mente id gignens et procreans cuius altera speciem ante oculus posuerit, utraque vero certo quodam concentu divina atque humana copulans: veterum illorum et artifices et praeceptores fuisse contendimus, qui, quae florenti eiusdem gentis aetate in animis vigebant, aperuerint ac manifesta fecerint, alteri dictis et scriptis, alteri simulacris atque carminibus. Ex hoc olim fonte

Socrates de 'bono ac pulcro' notiones hausit, eas quas divinus ille Plato idearum doctrina illustravit et celebravit, unde Aristoteles mente quidem sobria sed experientia acuta philosophandi cepit initium. Qui quidem viri licet nostro more educandi doctrinam nec tradiderint nec omnino quaesiverint: verumtamen ex ipsorum animis, Aristotelis potissimum, summi antiquitatis philosophi, educandi instituendique rationes ad nos emanarunt, quae multum abest ut temere sint dictae, ut valeant cum in eis quae ad educandi artem maxime spectant fragmentis tum in omnibus Stagiritae scriptis, ubicumque sententiis quae ad agendum pertinent occurrimus. Has quam brevi fieri poterit enucleare nostrae commentationi propositum habemus. Quod cum conficere conaremur ab universalibus quibus singularia continentur exordium nobis faciundum esse putavimus, ut his singulis Aristotele duce tractatis ex opere ad finem perducto tota res perspici posset.

ARGUMENTUM.

Exordio (§ 1—10) primum Aristotele auctore quo tendat et quid sibi velit hominum educatio proponitur. Hinc ex summo finis propositi principio tria accuratius erant consideranda haec: natura hominis et ea quae inter hanc et illam communis civitatis intercedat ratio (2—4); qualis sit, quoniam beatitudinem adpetant, singulorum atque omnium destinatio (5—7); qua denique via harum rerum optuma convenientia perfici possit (8—10). Hoc — *πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος* — cum natura, more, doctrina fieri videatur, cui distributioni totidem numero ac specie virtutes respondent, rerum quae sequuntur tres habemus partes.

Prima pars '*naturalem*' prae se fert educationem (11—19), cujus principium '*materies*' agnoscitur (11—14). Virtus de qua hac ratione agitur eo est magis universalis, quo magis attinet ad corporis salutem nec nisi potentia continet veram honestatem. Hinc singula exoriuntur quae spectant ad nutrimentum, incrementum corporisque motionem (15), ad ludum puerilem (16), ad sensuum perceptionem imitandique cupiditatem (17). Ad quas res cum memoria accedat reminiscendique vis (18), consideratio ita progreditur, ut transitus — tanquam a potentia ad actum (19) — in alteram fiat partem.

Qua quidem in altera parte (20—32) educationis quae propria verbi sententia dicitur '*moralis*' principium agitur, quod *forma* continetur (20—21). Forma actu fit. Ad agendum vero ex intuma hominum natura gravissimi momenti ac ponderis est

voluptas (22—23), quae ut commoda sit, sincera et vera, cupiditas discat rationi parere (24—25). Inde mensura et norma accipiuntur (26), quibus adhibitis homo vere fieri potest probus (σπουδαῖος): qua notione explicanda (27) ad considerandam virtutem moralem ducimur (28). Huic tria insunt momenta (29—31), quorum ex tertio ad consuetudinem exercitationemque ut veritas ideoque doctrina accedat requiritur (32). Qua ex re tertiae denique partis sequitur expositio.

In ea autem, tertia parte (33—42), primum de *intellegendi cognoscendique ratione* disputatur: *causa* movet; per causas discimus (33—34). Deinde sicut cupiundo agendoque bonum et malum, sic opinando sciundoque verum et falsum inter se opponuntur (35—36). Res inde ex eo quod penes nos est, quasi inde ex homine procedit (37), qui eo perveniat necesse est, ut id quod absolute bonum ac verum est, ex propria animi natura ipse sibi et bonum et verum habeat (38). Hac via nobis cum ad optumi cuiusquam perfectionem et absolutionem tum ad intellegendi perspicuitatem intuendique evidentiam progrediundum est (39). Progressionis indicium in ipsa actione consistere ostenditur (40), quae sit talis qualis summa demum, et ea quidem optumarum rerum occupatio, otii voluptatem fruendam praebeat (41), unde altius possit divina quaedam quam maxime sapere (42).

Ad libelli conclusionem paucis lineamentis singula quaedam in singulis disciplinis adumbrantur (43—49). Dispositione facta (43), postquam primum de arte gymnastica (44), musica (45), grammatica et graphica (46) disputatum est, deinde de virtutibus moralibus (47), de scientiis et literis (48) pauca quaedam, quoad huc pertinent, adferuntur, ut cum sapientia denique in fine spectata (49) proposito satisfactum esse videatur.

In locis laudandis duo evitanda videbantur: alterum ne lectores e contextu saepius aliorsum conspicere cogerentur, alterum ne iidem locorum conferendorum et in ipso contextu significatorum multitudine nimium interdum impedirentur. Itaque mediam aliquam me tentasse viam nescio an probes. Quod vero qua sit ratione factum facillime intellegetur.

EXORDIUM.

De ratione omnis humanae educationis.

1. 'Omnis ars omnisque doctrina id quod naturae deest (τὸ προσλεῖπον τῆς φύσεως) agendi progrediundique ratione vult supplere.' — Quibus quae praecepta paedagogica accuratius explicaturus scripsit Stagiritae verbis (Pol. IV [vulgo VII], 17. 1337 *a* 1 sqq.), illis quidem paucissimus, singulariter vero electis atque ratione consilioque, ut videtur, quaesitis[1]), id quod sibi velit ars educandi primum clare et distincte est definitum. Ars et educatio (τέχνη καὶ παιδεία) in unum sunt conjunctae et comprehensae. Quod enim Ethic. Nicom. initio omnis ars omnisque docendi via atque institutio, itemque actio et consilium bonum aliquid adpetere (ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι) dicuntur, hoc quis dubitet quin etiam de universa debeat educatione valere. Ut enim omnis ars principium quoddam sequi dicitur, quod cum insit quidem in ipso opifice (ἐν τῷ ποιοῦντι)[2]) repetitum vero ex rei quadam informatione est, animo antecepta[3]), h. e. sollerti atque efficaci operis specie[4]), ut opus ad ipsius similitudinem reddat pulcriusque imitetur[5]), — sic

[1]) Murat. Inscript. I, p. 446, 3 (τὰ προσλείψοντα τοῦ ἔργου); Jambl. Pyth. 16.

[2]) Eth. Nic. VI, 4. 1140 *a* 10 sqq.

[3]) Phys. II, 2. 194 *a* 21 sq.; *a* 35.

[4]) Met. VII, 7. 1032 *b* 14; 13. 1038 *b* 10; 7. 1032 *a* 32 sqq.; de an. II, 1. 412 *b* 10.

[5]) Poet. 15. 1454 *b* 10 coll. Phys. II, 8. 199 *a* 15 sq.

etiam educatio. Cuius materies a natura data, ut datam artificiose tractemus, omnium animantium praestantissimum est, homo. Hunc secundum veram eius naturam erudire atque — ut cum Aristotele loquar — supplere (*ἀναπληροῦν*), cum expediundo perficiamus, quae perficiere natura non potest, et imitando consequamur, ad quae consequenda natura nos instruxit (*τὰ μὲν ἐπιτελεῖ, τὰ δὲ μιμεῖται*): hoc ex Nostri sententia omnis educatio sibi propositum videtur habere. Est igitur, ut verbo exprimam, ratio illa finalis, quae et primum locum tenere et commentationis nostrae tamquam fundamentum debet esse ac summum principium (Eth. I, 1 coll. Pol. IV, 15). Ex principio enim Aristoteles rationem singulae cuiusque rei (*λόγον τῆς ἑκάστου οὐσίας*) unum idemque statuit esse atque finem ei propositum (*τὸ οὗ ἕνεκα ὡς τέλος*)[1], quippe quod natura (*φύσει*) primum, generatione (*γενέσει*) extremum sit in rerum ordine et commotu (Met. XII, 7); itemque quod quaque in re optumum sit unum idemque valere docet atque actionem perfectam, in qua artifices et educatores meliorem suam ipsorum naturam quodammodo (*πως*) ac quodam cum amore expressam videantur habere (Eth. N. IX, 7. 1168 *a* 7). — Loco quem laudamus Aristoteles de iis loquitur qui bene faciunt erga homines benefaciundoque pariter atque artifices et poetae in operibus ut in liberis suis se ipsos quasi colunt ac diligunt (*ἐνεργείᾳ δὴ ὁ ποιήσας τὸ ἔργον ἔστι πως· στέργει δὴ τὸ ἔργον*)[2]; est enim vel summum cum beneficium tum artificium, id quod in hominum educatione consistit. — Perfectum denique Aristoteles unumquodque esse censet, cui ad speciem propriae virtutis ne particula quidem desit magnitudinis a natura destinatae (*τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηθὲν ἐλλείπῃ μόριον κατὰ τὴν φύσιν μεγέθους*. Met. V, 16. 1021 *b* 20—25): homini igitur illud contingere, si animus et corpus bene se habeant nec quicquam deficiat optume vivendi rationis (Pol. IV, 14. 1333 *a* 15: *τὸ τέλος τῆς ἀρίστης ζωῆς*). Sic universe finem humanae educationi vides propositum.

Iam hinc quae sunt reliqua omnia deducuntur. — Quae

---

[1]) De gen. an. I, 1 in. coll. Phys. II, 7. 198 *a* 24 sqq.; Met. IX, 8. 1049 *a* 27 sqq.

[2]) Cf. Phys. II, 8. l. l. coll. Simpl. f. 85 *b*.; Met. IX, 8. l. l.; M. Mor. II, 12.

autem universe dicta ut accuratius intueamur, tres huius exordii partes distinguendas esse facile adparet, in quibus ex locis huc spectantibus testimoniisque adlatis haec tria nobis Aristotelis ex animo consideranda esse existumo: unum ipsum hominem, quatenus ex sua natura subiectus sit educationi; alterum destinationem eius, quatenus finis sit educationi propositus; tertium denique, quo pacto homo hunc finem adsequi possit, tamquam regionem in qua omnis disciplina institutioque versetur.

I.

2. 'Homo est animal sociale' (*ἄνθρωπος ζῷον πολιτικόν*). — Tribus his verbis, universe quidem sed graviter dictis et per totam quae sequitur explicationem late patentibus naturam humanam habes definitam (Pol. I, 2. 1253 *a* 2)[1]. Hominem docet natura esse animal civium societati natum: nam extra civitatis communionem vivere non nisi aut feram posse aut deum (*ἢ θηρίον ἢ θεός* ib. *a* 25 sqq.)[2]; illa cum ad eam non accommodata, hic quia supra eam sit elatus; hominem vero, alio loco accipimus, hominum consuetudine indigere, ut homo esse possit (*πρὸς τὸ ἀνθρωπεύεσθαι* cf. Eth. N. X, 8. 1178*b* 9 sqq.). Rem dicas notissimam esse. Quo autem minus est ignota, eo haud scio an magis huc adferre liceat eam, qua tamquam acerrima adumbratione species humana ante oculos ponatur. In quo illud quidem ex Nostri sententia proprie elucet, quod alienum esse ab homine videtur non solum vitam degere incultam naturaeque adversariam sine ullo usu ullaque necessitate (Eth. N. VII, 7) aut servili animi impetui corporisque voluptatibus lubidinose deditam, — quo et Cynicorum, qui dicuntur, et Cyrenaicorum disciplina deduci videmur, — verum etiam — alienum esse ab homine cum Aristotele dico — vivendi rationem adspirare ultra fastigium humanum transgredientem, qua cum nobis solum contenti, ab omni consuetudine secreti atque in meditatione tantum vel contemplatione 'ascetica' versemur, a munerum functionibus, fieri possit, negotiisque a natura nobis attributis, falso qui dicitur idealismo, ut

[1]) Eth. N. I, 5. 1097*b* 11; IX, 9. 1169*b* 18.

[2]) Cf. Eth. N. I, 5; VII, 1. 1145*a* 25.

removeamur. Quo modo tantum abest, ut totius hominis tota vis totaque naturae potestas ostendenda sit, ut dignitas ac praestantia eius in eo consistat quod civis civium societati adscriptus est. Neque aliam ob causam Aristoteles solum hominem censet sermone praeditum esse (Pol. I, 2. 1253 *a* 9 sq.), quo animi cogitationes vestiens non modo id proferre (*δηλοῦν*) declarareque possit, quo laetitia adficiatur vel dolore, quod prodesse vel nocere, verum etiam quod iustum vel iniustum, bonum vel malum esse existimaverit. Nam nihil frustra neque a deo fieri neque a natura (*ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐθὲν μάτην ποιοῦσιν*) (de caelo I, 4 extr.); sed finis causa facta esse omnia, sicut finis causa agere atque parare videatur ratio divina illa[1]) in hominum natura[2]).

3. Hominis igitur singuli et uniuscuiusque natura, in qua bonum aliquid tamquam finis expressum est, ex notione concepta communitate quadam (*κοινωνία*) continetur (Pol. I, 1 in. coll. Eth. N. I, 1. 1094 *a* 27 sqq.), quae cum ex singulis sit concreta (ib. 1252 *b* 15 sq.) integro suo absolutoque bono ac studio omnium singulorum omniumque quae angustioribus finibus constitutae sunt communitatum bona ac studia una sustinet et conplectitur (l. l. 1253 *a* 1 sq.; III, 9). Partis enim naturam accipimus necessario oportere ex natura existere totius, quo ut esse et constare et munere suo perfungi possit efficiatur (Eth. N. l. l. *b* 6 sq.). Haec est civitas (*πόλις*), quae est perfecta seque ipsa contenta societas (Pol. l. l. 1252 *b* 27), ex natura et secundum suam naturam (*φύσει*) prior (notione nimirum, non tempore) quam domus et familia priorque quam unusquisque nostrum: prius enim parte totum sit necesse est (1253 *a* 18 sq.). Notissima etiam haec Aristotelis definitio gravis est nec levi profecto ad rationem finalem in hac de qua agitur doctrina cognoscendam momento. Pertinent nimirum singuli ad totum, cui totos sese dedere debent, non ut naturam sui propriam bonumque sui proprium amittant, sed ut infinite cumulateque, ut ita dicam, aucti et suppleti sibi quasi ipsi reddantur: sicut etiam, quemcumque gradum perfectionis

---

[1]) De part. an. I, 1. 641 *b* 12; de an. II, 4. 415 *b* 16 sqq.
[2]) Eth. N. X, 7. 1177 *b* 28.

praestandique facultatem civium unusquisque consecutus est, totius, quocum civili continetur conciliatione (Pol. V [VIII], 1 coll. I, 2. 1253*a* 26 sq.; IV, 13. 1332*a* 32 sqq.) vim potentiamque conplectitur. Utrumque vero secundum eam fit dispositionis et conpositionis rationem, qua fieri potuerit, ut alii alios vicissim inter se sustinentes quasi membra dispersa in unum corpus collecta ad unum eundemque finem propositum (l. l. c. 15 in.) expetendum singuli et universi omnes conveniant. Est autem haec tam gravis quam propria Nostri sententia, qua cum ab aliis tum etiam a Platonica differt rei publicae doctrina. Qua in re positum videt Aristoteles illud omnis omnium bonorum copiae nihilque praeterea requirentis culmen (*πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας*), cuius desiderio, ut existat civitas et perfectione ut constet efficitur: existit enim civitas — ut dicitur — vivendi gratia (*τοῦ ζῆν ἕνεκεν*), constat vero bene vivendi gratia (*οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν*): tali quidem quali omnibus viribus excolendis ratione comparetur (Pol. I, 2 l. l. III, 6. 1279*b* 19 sq.).

4. Itaque essentia et constantia civitatis in fine proposito consistunt (Pol. III, 9. 1280*a* 31 sq.). Unum vero omnino finem positum esse docemur nimirum et civitatis communi et singulis, atque unum necessario illud bonum esse cum singuli hominis tum totius singulorum communitatis: ita tamen, ut in hac longe etiam maius et pulcrius et divinius efflorescere solumque perfici possit, quod illi proprium sit a natura attributum[1]) (Eth. I, 1. 1094*b* 7 sqq.). Unde necessario sequitur, ut ad optumae cuiusque civitatis morem naturamque (*ἦθος*) etiam optumi cuiusque civis (*πολίτης σπουδαῖος*) mos naturaque dirigatur (Pol. V [VIII], 1): atque in perfectione, qua gradatim utriusque praestantia ac dignitas aestimentur, ut haec optumi civis cum illa boni viri (*ἀνὴρ ἀγαθός*) debeat convenire (Pol. III, 18)[2]). Quapropter Noster summorum bonorum auctorem docet optumeque de hominibus illum meritum fuisse, qui primus homines dissipatos ad civitatis consociationem congregaverit, cuius nervus sit ius et iustitia, cuiusque ratio lex (Pol. I, 2

[1]) Cf. Pol. IV, 15.
[2]) Cf. Eth. N. V, 5. 1130*b* 26 sqq.

extr. III, 12)[1]. Ut enim vix esse qui solitaria conditione viventes bonum et exercere et summam boni vere sibi adsumere velint, ut iam causam omnium malorum esse et peccatorum, si ex toto pars suo studio contenta suaque cupiditate impulsa egrediatur (Pol. I, 2. 1253 *a* 26 sqq.): sic hominem non posse nisi in hominum societate vere humane (*εὖ*) i. e. bene ac pulcre (*καλῶς καὶ ἀγαθῶς*) vivere, neque — *ἐπειδὴ φύσει πολιτικὸς ἄνθρωπος* — nisi in communitate vitae, quae naturae conveniat, bonum illud undique perfectum (*τέλειον*), quod per se satis esse videatur (*αὔταρκες*), persequendo parare (Eth. N. I, 5. 1097 *b* 8 sqq.). Perfectum autem seque ipso contentum nihil est aliud ex Nostri sententia quam id quod omnium rerum quae agendo perficiuntur extremum videtur esse, scil. (ib. *b* 20) *ἡ εὐδαιμονία τῶν πρακτῶν οὖσα τέλος* — beatitudo.

II.

5. Beatitudo igitur omnium rerum actione perficiundarum summum bonum dicitur esse: de nomine quidem Aristoteles omnes fere consentire putat (*ὀνόματι σχεδὸν ὑπὸ τῶν πλείστων ὁμολογεῖται*), bonumque sibi adpetentes una percipere et nominare illud — *ταὐτόν* — quo vivendi agendique ratio bene perficiatur — *τὸ εὖ ζῆν καὶ τὸ εὖ πράττειν* — beatum esse. (Eth. N. I, 2. 1095 *a* 15 sqq.)[2] De eo autem quid sit beatitudo — *τί ἐστιν* — vehementissime inter se homines dissentire: alii enim dum parum subtiliter aut voluptatem aut honorem aut divitias laudent, ab aliis aliud summum bonum beatissimumque haberi (Eth. N. I, 3). Utrumque vero, illos neque id quod vere absoluteque bonum sit comprehendisse (ib. 1095 *a* 29 sqq.) et vana specie (*μάταιον εἶδος*) teneri eos, qui unam illam abundantemque 'boni per se' ideam (*ἀγαθὸν καθ' αὑτό*) praedicare soleant, clarissimis nobis gravissimisque argumentis a Stagirita demonstratur atque confirmatur (l. l. c. 4. pr. 1096 *a* 28 sq. *a* 34; *b* 20). Contra Platonis doctrinam disputare vides Aristotelem qui non ad unum et sublime aliquid sed ad bonum illud quod est in singuli cuiusque hominis natura animum intendit.[3]

[1]) Cf. Pol. III, 16. 1287 *a* 28.

[2]) Cf. Eudem. I, 7; Pol. IV, 2 in.

[3]) Cf. Haindorf. ad Plat. Theaet. p. 486.

Nimirum, ait, summum bonum non nisi unum esse. At denuo Noster, experientia duce, pergit, ubi varia sint vitae bona neque omnibus omne optandum videatur aut acceptum sit, sed plures sint actiones actionumque fines: ibi perspicuum fieri, quod omnium optumum ac magnificentissimum, quod ab omnibus semper atque universe eius ipsius gratia adpetatur, id sibi constans quiddam absoluteque se ipso contentum esse debere, idque rerum gerendarum actionumque fructum esse et perfectionem (ib. c. 5). Perfectio autem (*τελείωσις*) apud Nostrum in agendo adparet: non enim nisi in opere ac munere (*ἐν τῷ ἔργῳ*) finis propositus ostendere se et cognosci potest (ib. 1097 *b* 15; c. 6 in.)[1]. Quare in opere dicit ac munere bonum absolutum atque perfectum consistere videri, nec modo omnino sed etiam homini, si quidem hominibus quoque ratione praeditis opus atque munus (*οἰκεῖον ἔργον*) sui proprium contigerit.

6. Quod igitur primum ex insita quadam omnibus hominibus adpetitione esse summum bonum concluditur: id apud Aristotelem re vera et dilucide explicatum adparet, cum ex universa omnium rerum natura singulo cuique et singulae totius cuiusque parti (*ἔργον τι*) munus quoddam attributum videamus, quo functo '*σπουδαῖόν τι*', virtutis proprie particeps, fieri ac magis magisque perfectum exsistere debet (Eth. I, 5 extr.; 6. 1097 *b* 25—*a* 15)[2]. Virtutem enim ex Nostri sententia esse perfectionem consequitur, et perfectionem a natura expeti (Met. IV, 16. 1021 *b* 20), finibus sursum deorsumque ubique ex ordine propositis (Pol. IV, 15. 1334 *b* 12)[3]. Hoc enim illud est divinum quoddam (*θεῖόν τι*), quod in omnibus rebus a natura inest[4]) et in quo pro sua facultate partem habere omnibus — *τὸ μὲν μᾶλλον τὸ δ' ἧττον* — concessum est (gen. et corr. II, 10). Neque enim censet Aristoteles, — ut hanc rem, quae maximi momenti et ponderis est, paullo etiam accuratius pertractemus — similem esse naturam (*τὴν φύσιν*)

---

[1]) Met. IX, 9. 1050 *a* 21 sqq.; Eth. N. IX, 9. 1169 *b* 28; Pol. IV, 2. 1328 *b* 41 sqq.

[2]) Eth. N. II, 9. 1109 *a* 24 sqq.

[3]) Cf. Phys. II, 8. 194 *a* 28.

[4]) Eth. N. VII, 14 extr.; de an. II, 4. 415 *a* 26 sqq.; gen. an. II, 1. 731 *b* 30 sqq.

malae tragoediae in qua digressionum modo (ἐπεισοδιώδης) singula ex totius conexu quasi egrediantur (Met. XIV, 3. 1090*b* 19): sed gradatim rationis finalis ex ordine aliud alio esse superius, aliud cum alio conjunctum et consertum pro cogitatione perfectionis (ἐντελεχείας), cuius vis in universa atque omnia continuata quadam perennique motione penetret (cf. de an. II, 4. 415*b* 7, coll. Phys. II, 3). Ubi enim nec fortuito (ἀπὸ συμπτώματος) nec forte fortuna casuve (ἀπὸ τ' αὐτομάτου) id fit, ut pluat hiberno tempore et ferveat calore sub cane, ubi non frustra hirundo nidum construit nec frustra aranea telum texit, ubi ad fructos proferendos frondescit planta radicesque deorsum tendit (Phys. II, 8. 199*a* 1 sq.), ubi denique — ut hoc quoque exemplum adferam — semen germine turgescente solvitur et in lucem mergens denuo et multiplicatum se ipsum parit[1]): quid, num fortuito an forte fortuna casuque neque potius ad finem quemdam consequendum homo putandus est vivere? (cf. Pol. I, 8. 1256*b* 15 sq.; coll. gen. an. II, 4. 737*b* 26.) Optumo qui sit ac maxime perfecto item debere philos. noster existimat et optumi aliquid et maxime perfecti propositum esse et mandatum — ἐνέργειάν τινα — 'actionem rationi consentaneam,' qua vir probata virtute veram suam naturam bene ac pulcre (εὖ καὶ καλῶς) ostendere possit. Illud quidem bonum esse vere humanum — τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθόν — animi ἐνέργειαν, muneris functionem virtute, — virtutumque si plures sint, optumae earum perfectissimaeque ratione directam et id quidem, — ut addit Noster, (ἐν βίῳ τελείῳ) 'in vita perfecta.' (Eth. N. I, 6. 1098*a* 6 sqq.) Quo in verbo, quod est τελείῳ, excolendi progrediundique notionem ex Nostri sententia inesse iure videtur censeri[2]). Rei verae enim et rationi (τῷ λόγῳ) consentaneum esse (Eth. N. I, 8. 1098*b* 20: καὶ τὸ εὖ ζῆν καὶ τὸ εὖ πράττειν τὸν εὐδαίμονα) et bene vivere et bene agere hominem beatum.

7. Itaque cum in rerum natura omnia necesse sit bona ac pulcra existere, homini eo liberrima cultura perveniundum

---

[1]) De an. II, 1; de juv. et sen. c. 3; gen. II, 4; III, 2.

[2]) Cf. Eth. N. 1098*a* 15—18 (Zell, comm. p. 38. coll. Cicero, de fin. IV, 7).

est, sua ipsius opera atque industria (Eth. l. l. c. 8. 10. 6 extr.). Bonum ut possideamus acquirendum est: et acquirendi (κτῆσις) progressus et possidendi (χρῆσις) gradus eandem rursum inter se rationem habent quae est inter habitum (ἕξιν) et actionem (ἐνέργειαν) (cf. ib. c. 9. 1098 *b* 31 sqq.; 1099 *a* 16; M. Mor. I, 4). Quantum vero ad educandi rationem hoc valeat, ex alio loco mox (Pol. IV, 13. 1332 *a* 23 sqq.) satis clare elucebit. Quem ad finem tria illa genera paucis attingere licebit, quibus parandi facultas summique boni adeptio continetur. Tria dicuntur bonorum humanorum genera: bona externa, bona animi et corporis (Eth. N. I, 8; Pol. IV, 1. 1323 *a* 25 sq.). Externis bonis homo beatus carere non potest, non magis quam corporis valetudine et membrorum robore (Eth. N. X, 9; Pol. IV, 13. 1332 *a* 19). Etsi homo vere honestus ac probus numquam prorsus miser existere potest, nihilo tamen minus difficile atque arduum est, — nisi forte omnino non potest fieri, — sine subsidiis et adiumentis bonum ac pulcrum efficere (Eth. N. l. l. 1099 *a* 31; 1100 *b* 30 sq.). Qui secretus ab amicorum consuetudine sine omni hilaritate vitam degit, nullo amore nullaque caritate (Eth. N. VIII, 1; IX, 9. 11), vel cui Priami fortuna est perferenda, eum nemo homo praedicaturus est (ib. I, 11. 1101 *a* 6 sq.). Alterum locum alia tenent bona, quae unitis animi corporisque viribus ab hominibus acquiruntur in vitae actionibus et varietate (ib. X, 8 coll. I, 10. 1100 *a* 1 sqq.). Quibus crescentibus diligentia virtutis et actio augetur una cum beatitudine quae percipitur (Eth. N. I, 10 coll. Pol. IV, 13). Summi denique boni (Eth. N. X, 7; I, 11 sq.) is particeps habetur, qui ex labore ac dimicatione ad naturae vere humanae fastigium enisus eo perfecta virtute potuit venire, ut otio optume fruatur. Sapientiae studere studendique fructum percipere (θεωρία) divinam adfert delectationem atque integram et sinceram voluptatem (ib. X, 7 extr. coll. I, 6)[1]. Voluptatem vero docet Aristoteles eo potissimum cuique praeberi quod amore quisque ac diligentia maxime conplectatur, non velut adpendicem quandam (ὥσπερ περιάπτου τινός ...) sed (ἐν ἑαυτῷ) per ipsum vigorem — ἐνέργειαν — beatitudinis (ib. 1099 *a* 8 sq. coll. X, 4. 1175 *a* 12 sq.). Itaque fit, ut unum nobis sit vivere

[1]) Met. XII, 7. 1024 *b* 24.

et agere et voluptate adfici in consequendis finibus propositis (l. l. I, 10). Si quicquam, id profecto deorum donum (*θεῶν δώρημα, θεόσδοτον*) hominibus iudicandum esse: attamen, — loco laudato legimus,' — licet non sit missum a diis inmortalibus (*θεόπεμπτον*) sed virtute, doctrina, exercitatione partum, nihilominus divinum quoddam virtutis esse praemium, optumum aliquid omnemque laudem excedens beatum (ib. 1099*b* 14 sqq. coll. *b* 25; c. 12). Dicit enim Aristoteles: laudem quidem virtuti tribuendam (l. l. 1101 *b* 31), in ea autem quae honore digna et perfecta sint (*τῶν τιμίων καὶ τελείων*) beatitudinem illam — *ψυχῆς ἐνέργειαν*, — referendam esse, quae secundum virtutem virtuteque excolenda perficiatur. Videri enim hoc ita se habere, quod etiam principium id sit — (*διὰ τὸ εἶναι ἀρχή*) — atque primum, cuius gratia omnes omnia reliqua agant (l. l. c. 12 extr.). Acerrimi ingenii sagacitate Kantius, summus ille recentioris aetatis philosophus, istam beatitudinis rationem a se reiecit, qua alieni aliquid neque ipsius proprii iuris quod esset tamquam primum et principium in animum acciretur[1]). 'Ich soll etwas thun', — inquit, — 'weil ich etwas anderes will'[2]). At minus recte, ut videtur. Nihil enim ibi est alieni neque externi, ubi eo ipso studendo agendoque (*ἐν ἑαυτῷ*) una simul cum voluptatem tum perfectionem et summa virtute exercenda summum bonum percipimus. Inde etiam magis Aristotelem laudamus, qui principium (*τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ αἴτιον τῶν ἀγαθῶν*) omniumque bonorum causam et quasi fontem 'illud honore dignum aliquid et divinum' (*τίμιόν τι καὶ θεῖον*) hominibus proposuerit (Eth. N. I, 12 extr.).

III.

8. His rebus consideratis ad tertiam huius exordii partem transeamus. Postquam enim de natura generis humani disseruimus, inde ex ea quae omnibus naturaliter nobis insita est adpetitione, finem adhuc illustrare conati sumus qui omni educationi propositus est. Qui finis cum unus sit quo studiorum

---

[1]) Kant, opera ed. Rosenkranz VIII. 'Metaph. d. Sitten' p. 73 sqq. coll. 'Krit. d. pr. Vern.' p. 184 sqq.

[2]) Ib. p. 76.

officiorumque vicissitudo quaedam inter singulos cives civiumque societatem continetur, fieri et potest et debet, ut ad perfectionem illam consequendam una quoque sit via et institutio. Huc quidem illa pertinent tria quae Aristoteles eo loco unde dissertatio primum principium cepit perspicienda sibi suscepit (Pol. IV, 17 extr.). Videndum esse, primum num ordinem quendam (*τάξιν τινά*) de puerorum educatione instituere, tum eiusdem rei curam utrum publicam esse an — ut fieri soleret — privatam, postremo denique qualem (*ποίαν τινά*) eam esse oporteret. — Ante omnia ac primum quidem ex Nostri sententia ad publicam salutem augendam et amplificandam legislatoribus reique publicae rectoribus id curandum esse constat, ut ad omnes facultates et artes omnia quae sint necessaria 'prae'-doceantur (*προπαιδεύεσθαι*) atque 'ante' singuli quique adsuefiant (*προεθίζεσθαι*) cum muneribus et operibus obeundis tum virtutibus exercendis (Pol. V [VIII], 1). Quarum rerum neglegentia, ut ait Aristoteles, fieri non potest nisi damno rei publicae eiusque administrationis formae, cuius, ut ita dicam, propria natura atque indoles (*ἦθος*) omnino tuenda est, quoniam semper ex optuma quaque indole optuma quoque oritur rei publicae administrandae forma (*ἀεὶ τὸ βέλτιστον ἦθος βελτίονος αἴτιον πολιτείας*)[1]. Iam haec sunt in Ethicis libris tradita (I, 13 in.) et ea quidem cum iis rebus conexa quae supra Nostro auctore disputavimus. Is enim dicitur, qui gubernacula rei publicae tenere vere (*καθ' ἀλήθειαν*) potest, in earum rerum studio potissimum videri exercitatus, quo per usum virtutis ad vitae perfectae prosperitatem homines perveniant: '*βούλεται γὰρ τοὺς πολίτας ἀγαθοὺς ποιεῖν καὶ τῶν νόμων ὑπηκόους.*' Cuius rei exempla Noster Lacedaemoniorum fert Cretumque legislatores. Ad eandem rem spectant quae conferre licebit etiam haec Aristotelis (Eth. N. X, 8. 1180 *a* 14 sqq.): 'Vir bonus, inquit, qui futurus sit, eum bene educari (*καλῶς τραφῆναι*) oportet adsuefierique, tum ita aptis studiis institutisque vitam directam vivere, ut neque invito nec lubenti animo aliquid peccetur inprobeque fiat: id quod iis potest contingere qui mentem aliquam (*κατά τινα νοῦν*), rationem rectumque ordinem (*τάξιν ὀρθήν*), vim habentem, tamquam vitae ducem

---

[1]) Cf. Plato, Rep. VIII, p. 544 *d*.

(coacti) sequuntur.' Paterno quidem in iussu, — ut addit Noster, — non inesse illam tantam vim neque illam necessitatem neque omnino in unius viri iussu, nisi forte rex sit vel talis quidam superiore loco sedens. In legibus autem valere illam cogentem potestatem, cum ratio sit lex (λόγος ὤν) e prudentia quadam et mente exorta. Neque (ut alia omittam) in odio esse legem, cum quod aequum et bonum est (τὸ ἐπιεικές) praescribat. Iam hinc sequitur id quod ad illam alteram attinet quaestionem. Cum unus omni civitati finis sit propositus, perspicuum est unam quoque eandemque necessario esse omnium educationem, cuius procuratio debet publica esse, non (ut fieri solet) privata (Pol. l. l. 1337*a* 21 sqq.)[1]. Nimirum pro sua cuique parte ad honeste vivendi facultatem (καλῶς ζῆν) conferendum est, ea ratione qua propter communem utilitatem salutemque omnes tamquam in unum conducuntur vivendique gratia (τοῦ ζῆν ἕνεκεν) ad civilem congregationem conveniunt (cf. Pol. III, 3. 1278*b* 19 sq.). Quo autem artissimo vinculo hae duae res inter se cohaereant facile adparebit. Quibus enim rebus singulorum hominum studia non modo non iniuste impediri sed id potius removeri vult, quo perniciose non omnibus omni ex parte absoluta fieri possit eruditio et educatio. Tantum quidem abest, ut privatam et domesticam disciplinam despicatui habeat Noster, ut propria eius commoda ad singuli cuiusque facultatem excolendam collaudet atque commendet (Eth. N. X, 10. 1180*b* 7 sqq.): at repugnat sanae menti antiquorum Graecorum et repugnat menti et animo Stagiritae, qui omnium ac singulorum inter se congruendo et se invicem supplendo totum augeri et perfici publicaeque salutis procuratione summam honestatem contineri vidit: 'ubi Cyclopum more modoque singulus quisque ipsius arbitratu in uxorem et liberos dominatur' (ib. *a* 27)[2]. Quod denique tertio loco quaeritur (ποίαν τινὰ δεῖ ταύτην) ad intestinam quandam unitatem referendum videtur esse. Nam intestinum aliquid est huius rei qualitas (ποιότης). Ratio quidem finalis adeo per totum penetrare debet educationis, ut quasi animata existat ea quae gradatim omni parte bene conparanda totum hominem bene

[1]) Cf. Plato, Legg. VII, p. 204 *d*.
[2]) Cf. Hom. Od. IX, 112 sqq.

conparatum et perfectum reddat: ὁ δὲ λόγος ἡμῖν καὶ ὁ νοῦς τῆς φύσεως τέλος[1]). Omnino autem illiberale (βάναυσον ἔργον) habendum est, in quo illam unam rationem desiderabis (Pol. l. l. 1337 *b* 8 sqq.)[2]). Agitur de muneribus (περὶ τῶν ἔργων) quae in educatione fungenda sunt: οὐδὲ φανερὸν πότερον πρὸς τὴν διάνοιαν πρέπει μᾶλλον ἢ πρὸς τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος (l. l. V, 2). E fine proposito res patere censet Aristoteles, unde omnino dicendum esse quid et quantum deceat (τὸ τίνος χάριν πράττει τις ἢ μανθάνει). Hoc respiciens, — ut una dicam, — moderatio illa et terminatio inde proficisci videntur ex eo, quod universe '*mensurae*' nomine significandum est[3]). Fere idem est quod alibi (Eth. N. VI, 1) verbis dicitur quae sunt ὀρθὸς λόγος, quo non modo pro tempore aliisque conditionibus sed omnino diiudicandum est, quousque in omnibus quae necessaria et utilia et iucunda sint 'ingenuum' hominem erudiri oporteat (οἷον δεῖ) (Pol. l. l. 1337 *b* 3 sqq.). — Quodsi de singulis rebus neque quam maxime universe hoc loco disputandum esset, musicam vel gymnasticam disciplinam huc conferremus, quibus quae Nostro auctore dicta sunt uberius conprobari posset. — At satis accurate adparebit, quo illa mensurae definitio tendat, his tribus allatis: τὸ μέσον 'quid medium sit', τὸ δυνατόν, 'quid fieri possit', τὸ πρέπον 'quid deceat', quibus rebus ex Nostri sententia id quod fini educationi proposito aptum est, aestimari debet (Pol. V, 7 extr.).

9. Omnino autem, docet Aristoteles, duas esse res, quibus recte constitutis (ὀρθῶς) perfectio in omnibus universe existere possit: *finem* (τὸν σκοπόν) rerum gerendarum et eas ipsas *actiones*, quae apte inventae ad finem propositum conferant. Utrumque vero (τὸ τέλος καὶ εἰς τὸ τέλος πράξεις), altero alteri conveniente, in omnibus artibus et scientiis praevalere debet (Pol. IV, 13. 1337 *b* 26—38). Quarum rerum illud quidem quod una simul et civitati et civibus expetendum est, iterum iterumque collaudatur: ὅτι μὲν οὖν τοῦ τ' εὖ ζῆν καὶ τῆς εὐδαιμονίας ἐφίενται πάντες, φανερόν (l. l. 1337 *a* 39 sq.)

[1]) Cf Pol. IV, 15. 1334 *b* 14 sqq.

[2]) Cf. Plato, Gorg. p. 485 *a*.

[3]) Cf. Pol. VI, 11. 1295 *a* 35 sqq. coll. Met. IX, 1. 1053 *a* 18 sq.; 1052 *a* 15 sq.

φαμὲν δὲ καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς . . . ἐνέργειαν εἶναι καὶ χρῆσιν ἀρετῆς τελείαν. (1332*a* 7 sq.). — Ex quibus dictis hoc vel maxime tenendum, quod in actione, in usu virtutis perfecto summa collocata cernitur cum educationis et institutionis, tum propriae singulorum et omnium communis salutis. Quem ad finem alia necesse est sint nobis praedita, alia, — in quibus potissimum educatio videtur consistere, — libera nostra industria sint exornanda. Quae quidem exornatio (*κατασκευή, χορηγία*) strenuos reddere vult homines in adsequendis virtutibus, i. e. probos honestosque: ubi quaerendum est cum Aristotele (Pol. l. l. 1332*a* 35 sq.): *πῶς ἀνὰρ γίνεται σπουδαῖος*; (quomodo vir fiat probus). Ad quae Noster: Boni, inquit, fiunt homines et probi, cum singuli tum omnes (*ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ καθ' ἕκαστον καὶ τὸ πάντας*) tribus rebus (*διὰ τριῶν*) quae sunt: *natura* (*φύσις*), *mos* (*ἔθος*), *ratio* (*λόγος*). Idem fere etiam alio loco invenimus, quem praesertim ad verbi quod est *λόγος* notionem definiendam, nimirum quantum huc pertineat, laudamus[1]). Bonos fieri, esse qui putent, alios natura (*φύσει*), alios consuetudine vel more (*ἔθει*), alios doctrina (*διδαχῇ*) (Eth. N. X, 10. 1179*b* 20). Quod hoc loco *οὐκ ἐφ' ἡμῖν* esse dicitur id eo spectat, quod primum quidem hominem a natura, certa quadam et animi et corporis facultate et indole instructum praeberi necesse est (l. l. 1332*a* 40: *καὶ γὰρ φῦναι δεῖ πρῶτον, οἷον ἄνθρωπον ἀλλὰ μὴ τῶν ἄλλων τι ζῴων, εἶτα καὶ ποιόν τινα τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν*). Is consuetudine deinde et more unitis animi et corporis viribus in meliorem aut deteriorem statum — *τὰ ἐπαμφοτερίζοντα* — vertitur (*ἔνιά τε οὐθὲν ὄφελος φῦναι· τὰ γὰρ ἔθη μεταβαλεῖν ποιεῖ· ἔνια γάρ ἐστι διὰ τῆς φύσεως ἐπαμφοτερίζοντα διὰ τῶν ἐθῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον καὶ τὸ βέλτιον*). Solus denique rationis particeps est homo, qua cogitare potest atque intellegere (*τὰ μὲν οὖν ἄλλα τῶν ζῴων μάλιστα μὲν τῇ φύσει ζῇ, μικρὰ δ' ἔνια καὶ τοῖς ἔθεσιν, ἄνθρωπος δὲ καὶ λόγῳ, μόνον γὰρ ἔχει λόγον*). — Hae tres partes totidem numero educandi rationes huiusque rei illustrandae partes, quot apud Nostrum virtutum invenies

---

[1]) Cf. Schwegler ad Met. VII, 4 (tom. IV. p. 58; coll. de interpr. 4, 16*b* 28; Poet. 20. 1457*a* 23; Rhet. III, 2. 1404*b* 26; de interpr. 2, 16*a* 19; Poet. 20. 1457*a* 10).

species, *naturalem* (*φυσικήν*), *moralem* (*ἠθικήν*), *intellectualem* (*διανοητικήν*) (cf. Eth. N. VI, 2 in.; 13). — Licebit nobis porro disputantibus his verbis brevitatis causa uti. — Dubitare enim non possum, quin eiusmodi res, tres in partes distributas, porro considerandae sint. Partes quidem dicimus, quae si ad agendum spectas inter se cohaerere et convenire debent. Aliter forsan res se haberet, si aetatem intueremur, ita quidem, ut eam quam Noster educationis gratia facit distributionem sequeremur (cf. Pol. IV, 17 s. f.). Qua autem ex re id haurire vix poteris, cuius tractatio nobis proposita est. Neque nunc de gradibus agitur, qui etsi ratione quadam illis supra commemoratis beatitudinis respondeant, eiusmodi discrimine commisso abhorrere hoc loco videantur a Nostri sententia, qui illas res (*τὰ τρία*) ita dispositas voluerit esse (*ὥστε δεῖ ταῦτα συμφωνεῖν ἀλλήλοις*) ut concinant inter se vel optumo, ut alio loco dicitur, concentu (l. l. 1332*b* 15; coll. 1334*b* 10). Haec quidem hactenus.

10. Sicut vero unius finis propositi rationi totum tamquam parere debet, sic singula quoque ad hoc unum, unde emanare videntur, principium redibunt[1]). Natura quidem materiem praebet et in ea pro potentia (*δυνάμει*) omnia (Eth. N. VI, 13. 1344*b* 4 sqq.), vel potius, re accuratius considerata, si in virtutem et scientiam respicimus, necessario nonnulla, nihil perfectum (ib. II, 1. 1103*a* 18). ‚Der Zweck ist die Voraussetzung'[2]). (Cf. Pol. IV, 13. 1332*a* 10.) — Mos et consuetudo actu (*ἐνεργείᾳ*)[3]), in quo a parte naturae *vis* (*δύναμις*) et *modus* (*μέτρον*) rationis ex parte insunt, exercitando eo quod absolute (*ἁπλῶς*) honestum et bonum est (l. l. 1332*a* 11; coll. *a* 21 sq.) adsuefacere (*ἐθιστῇ ἀρετῇ*) debent[4]), ad normam verae animi probitatis (*ἠθικὴ ἕξις*. Eth. VI, 2)[5]). — Doctrina ac scientia denique (*ἐπιστήμη*) efficitur, movendi rationem ut intellegamus et causam, cur et unde omnia quae sunt existendi

[1]) Cf. Ritter, hist. phil. III, p. 159 sqq.
[2]) Trendelenburg, log. Unters. II, p. 32 coll. Arist. de p. an. I, 1; II, 1.
[3]) Met. VIII, 6. 1045*b* 17; IX, 6. 1048*a* 30 sq.; *b* 4 sqq.
[4]) Cf. Eth. II, 1; I, 6 s. f.; VII, 9. 1131*a* 14 sqq.
[5]) Cf. Met. XII, 5. 1071*a* 18 sqq. coll. Trendelenburg, Arist. de an. p. 309 sq.

naturam habeant cognoscendique praebeant veritatem (Pol. IV, 15)[1]. Neque omnino praefari licet quae in sequentibus partibus clarius fieri debet, ut adpareant. Tantum vero iam nunc id pro certo potest haberi quod summa educandi nulla alia quam ea videntur esse, quae omnino philosophiae Aristotelis esse principia habentur, una rei perficiundae cogitatione animo concepta. — Quapropter, ut iam supra dictum est (*ταῦτα γὰρ δεῖ συμφωνεῖν πρός ἄλληλα συμφωνίαν τὴν ἀρίστην*) natura, consuetudo, doctrina consentire inter se optumo debent concentu (cf. Pol. l. l. 1334*b* 10). Neque enim antiquorum ingenium cum natura nec, ut ita dicam, Aristotelis cum intellegentia doctrinaque ullo modo potest discrepare. Ubi omnium vita bonisque etiam singuli cuiusque vita et bona continentur; ubi homo a natura instructus, doctrina eruditus moribusque bene confirmatus adparet, ne non indecore voluptate vel dolore adficiatur; ubi ad certam denique rationis normam, quae firmitatem habet et vim, omnium singulorumque studia ac voluntates diriguntur: fore, censet Aristoteles, ut civitatis communitate contentus veram naturam suam praestare, veram vivendi voluptatem ac libertatem percipere veramque viam invenire possit homo, qua muneribus bene perfunctus '*ἀνὴρ σπουδαῖος*' et '*πολίτης ἀγαθός*' per virtutem perveniat ad beatitudinem (cf. de virt. et vit. c. 8). Qualem ad finem nimirum etiam ea talia esse oportet, quorum usu (*τὰς χρήσεις*) vel optume eo perveniri possit (*κατασκευαὶ ἀγαθῶν καὶ γενήσεις*). (cf. Pol. IV, 13. 1332 *a* 10 sqq.) Homines vero idcirco rem nonnumquam pervertunt, et quoniam bonis carere non possunt ad optuma consequenda, bona externa sibi collaudant quasi beatitudinis causam et fontem (*τῆς εὐδαιμονίας αἴτια*). Hos Aristoteles similiter agere censet, ut si quis lucide et suaviter cithara canendi causam lyrae magis quam arti adscribere velit (ib. *a* 26: *ὥσπερ εἰ τοῦ κιθαρίζειν λαμπρὸν καὶ καλῶς αἰτιῷτο τὴν λύραν μᾶλλον τῆς τέχνης*). Quod si minus placere potest et in arte exercenda potius quam in instrumento harmoniae causam invenimus, dubitare quis poterit, quin non tam in externis, quam in interioribus, non tam in corporis quam in animi mentisque cultura

---

[1]) Met. I, 1; An. po. II, 19; de an. III, 4 extr. (coll. Trendelenburg, comm. p. 486); An. po. I, 2 in. (Schol. Jo. Phil. f. 7. ed. Ac. p. 198).

vitae prosperitates consistant; neque ulla alia ex causa, non tam fortis fortunae quam penes nos id est, quod studendo exercendoque exercendi et studendi fructum percipimus. Et pariter fit quod ad nostrum unumquemque atque communem attinet civitatem: *τὸ δὲ σπουδαίαν εἶναι τὴν πόλιν οὐκέτι τύχης ἔργον, ἀλλ' ἐπιστήμης καὶ προαιρέσεως* (l. l. *a* 31). Sciundo et volendo opus est ad exercendam virtutem: nimirum, optumum, quod etiam est perfectum, nisi optumo et summo quod est hominum natura excolendo non paritur (*ὥστ' εἴη ἂν ἡ εὐδαιμονία θεωρία τις.* Eth. N. X, 8 extr.). Beatitudo, contemplatio quaedam, summa virtute exercenda continetur. Sic finem habes nobis propositum et educationem tamquam viam qua id quod naturae deest progrediundi agendique ratione possit suppleri.

PARS PRIMA.

De ratione educationis naturalis.

11. Primum naturae id tribuit Aristoteles, quo homines boni ac probi fiant (cf. §. 9). Quaeritur hic qua ratione id fieri possit, ut natura tali modo educatrix adpareat generis humani. — Natura (*φύσις*), quatenus ex Nostri sententia arti (*τέχνη*) est opposita, summa omnium rerum esse definitur, *in* quibus ipsis (*ἐν ἑαυτοῖς*) movendi inest principium (*ἀρχὴ τῆς κινήσεως*): id quod apud Aristotelem cum aliis locis tum Physicis potissimum libris accuratius disputatum invenimus (cf. Phys. II, 1 pr. 192*b* 13—*a* 2)[1]. — Omnem enim artem eo docet spectare, ut fiat aliquid (l. l. II, 3)[2]: fieri autem nequire nisi aliud quid sit substratum vel subiectum (*ὑποκείμενόν τι*), unde fiat, i. e. materia: hanc a natura praeberi, quae ab arte conservetur et perpoliatur. — Tali quidem sensu, — fine proposito imperante, — causa illa materialis (*τὸ δυνάμει ὄν*) in ea valet educationis parte, quae naturalis adpellatur (Phys. l. l. II, 2. 194*b* 7 coll. Pol. IV, 15. 1334*b* 10 sqq.). Est igitur, ut ait philosophus noster, movendi principium a materia, — *δύναμις* – potentia (Met. IX, 1. 1046*a* 9)[3], et ea duplici quidem ratione, tum tamquam facultas qua ad actum spectat[4],

---

[1]) Cf. Met. XII, 3. 1070*a* 7; V, 1. 1025*b* 19.

[2]) Cf. Met. I, 1; An. po. II, 19.

[3]) Cf. Bonitz, comm. ad l. l. coll. V, 12 in.

[4]) Cf. Met. IX, 3. 1047*a* 24; 4. 1047*b* 9—30 coll. de part. an. II, 1. 646*a* 14.

tum progrediundi actione vis, tamquam commutandi principium (*ἀρχὴ μεταβλητική*) [1]. Valere enim in sempiternum dicitur nec tamen in infinitum propagans (*εἰς ἄπειρον*) movendi potentia (*δύναμις ἡ κατὰ κίνησιν*) [2], cum per innumerabiles gradus rerum moventium et commotarum [3], tum inter extrema rerum seriei, ubi maxima et minima, singula et universa ex ordine inter se conectuntur [4]. — Sic aliud alio sustentari videtur: homo autem, ut cum Aristotele loquar, hominem procreat (*ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ*) [5]. — Quod eiusmodi in rerum universitate apte videtur exactum esse id summo gradu perfectum necesse est in singulo homine adparere et in eius natura ac forma [6]. — Itaque nec parvi ducendum est quod natura etiam hominibus generandis efficit, quos sic constitutos ex ortus, ut ita dicam, necessitudine ad culturae libertatem velit dimittere. Hanc Aristotelis sententiam eo expressam habes loco, quem prae caeteris supra quasi fontem huius commentationis laudavi (§ 9), ubi haec verba praeit: *φῦναι δεῖ πρῶτον, οἷον ἄνθρωπον . . . εἶτα καὶ ποιόν τινα τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν*. Natura enim perfectionem semper quaerere (*φύσις ἀεὶ ζητεῖ τέλος*. gen. an. I, 1. 715*b* 14): ex omnibus autem rebus a natura genitis et procreatis homo praestantissimus et pulcerrimus dicitur [7]. — Cui, ut perpauca huc adferam non solum sermonem (cf. § 6) verum etiam erecti corporis figuram [8], et oculos dedit, moventi qui praeluceant [9]: quid plura? homo, omni indole, omnibus et animi et corporis facultatibus praeditus, memoria et imaginatione [10], manu, instrumentorum instrumento (*ὄργανον ὀργάνων*), intellectu, formarum forma (*εἶδος εἰδῶν*) [11], qui ad dimicandum paratus instructusque sit ad do-

---

[1]) Phys. V, 1 et 2 (226*a* 23 sqq.).

[2]) Ib. V, 1. 224*b* 26 coll. Met. XII, 2. 1069*b* 13.

[3]) Phys. VIII, 5. 256*b* 20; de an. III, 10. 433*b* 13 sq.

[4]) Met. XII, 3 in.; VIII, 4. 1044*a* 15 sq.; V, 4. 1015*a* 7 sq.; VIII, 6 extr.; Phys. II, 7. 198*a* 25.

[5]) Phys. II, 2 extr.; de p. an. I, 1. 641*b* 36 sq.

[6]) De gen. et corr. II, 10. 336*b* 27 coll. de an. II, 4. 415*b* 7.

[7]) De gen. an. II, 4. 737*b* 26 coll. Hist. an. IX, 1. 608*b* 5 sq.

[8]) De p. an. II, 7; IV, 10; de vita, 1. 468*a* 5; de ingr. an. c. 5.

[9]) De p. an. II, 12. 656*b* 29.

[10]) De mem. et rem. c. 2.

[11]) De p. an. IV, 10. 687*a* 15; de an. III, 8. 432*a* 1 sq.

minandum in omnia simul dignitate inferiora (Pol. I, 8. 1256*b* 15) diis voluptati quasi ex officina naturae exstitit [1]), homo, inquam, potentia (*δυνάμει*), quo vere homo (*ἐνεργείᾳ*) fieri possit. Singula dicas explicationem desiderare: at summatim nunc breviterque haec omnia descripta habes, de quibus accuratius postea et dilucidius agendum erit.

12. Ut igitur natura hominum generatione perfectissimum aliquid consecuta est (de p. an. II, 10. 655*b* 37 sqq.): sic hoc curavit, ut natus ea quae ad vitam vivendam necessaria sunt inveniret homo, et nutrimentum in sinu matris et victum cultumque in domo paterna praesto haberet (Pol. IV, 17 in. coll. de resp. c. 11 in.). Hinc statim ut a primis cunabulis natura educatrix videtur, quae, permissa omni in excolendo homine libertate, non desinit id quasi videre, ut permultum valeat et in omnibus rebus quae non penes nos sunt (*τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν*) et porro etiam ad destinatum illud quod totum hominem attinet magis magisque adsequendum. — Nam multum abesse perspicuum est, ut homine nato et certis quibusdam facultatibus instructo natura sibi satisfecisse videatur. Quod si contenderetur, tam absurdum id esset quam a Nostri sententia alienum. Quae quidem ea potius quam supra commemoravimus duplici ratione expressa est. Respondet enim id quod *δυνάμει* significari dicitur, illi quod apud Aristotelem *φύσις* vocatur. Cuius vocis (*διχῶς λεγομένης*) etiam duplex valet vis, tum materiae (*τῆς μὲν ὡς ὕλης*), si originem (*τὸ ἐξ οὗ*), tum rei perfectae vel substantiae (*τῆς δ' ὡς οὐσίας*), si finem (*τὸ εἰς ὅ*) respicimus (de part. an. I, 1. 641*a* 25 coll. phys. II, 2. 194*a* 12). Utrumque quod, ut ita dicam, in notione quae est *φύσει* inesse docemur, — nam quincuplex apud Aristotelem illud verbum usurpari videtur [2]), — utrumque, inquam, nedum alterum ab altero excludatur, in unum demum (*κυρίως λεγομένη . . . ἡ οὐσία ἡ τῶν ἐχόντων ἀρχὴν κινήσεως ἐν αὑτοῖς ᾗ αὐτά*) conveniunt (Met. V, 4. 1015*a* 13 sq.). [Haec vero de qua loquimur Aristotelis sententia multis non modo iam supra

---

[1]) Eth. N. X, 9. s. f.

[2]) Met. V, 4 coll. Schwegler, comm. III, p. 198; Bonitz p. 229 (1014*b* 17 sqq.).

partim adlatis metaphysices locis sed etiam praeclara illa expositione physices (II, 1. 192*b* 20 sqq.; *b* 32—193 *b* 21) et maxime primo quod de partibus animalium scriptum est capitulo (641 *a* 17—32; 642 *a* 1 sq.) conprobatur.] At aliis omissis, quid ex his rebus ad educationem referatur, exquirendum est. Consequitur enim id quod omnino ab Aristotele postulari videtur, ut in hominibus educandis natura naturam sequens magistram (φύσει) expleatur: hoc est, ne quicquam fiat, quod facultatibus quae praesto sunt minus aptum et progredientibus impedimento sit, et contra ne quicquam deseratur vel derelinquatur, quo viribus adiuvandis natura semper quod eius est muneris perfungi possit (Pol. IV, 17). Utrumque ab Aristotele omnino postulari adparet, quamvis (quod dici vix opus est) in ipsis actionibus alterum ab altero distineri nequeat (cf. Eth. N. I, 7). Deinde ex omnibus quae adhuc adlata sunt itemque cum ex aliis tum ex eo quem supra laudavi loco (Pol. IV, 13) in primis non tam de iis rebus hic agi perspicuum est, quae ad mentem humanam intellegentiamve excolendam (τὸ ποιεῖν) pertineant, quam de iis praecipue quae corporis sint et sensuum et patiundi accipiundique facultatum (τὸ πάσχειν, κινεῖσθαι), de anima igitur tantummodo quatenus ex sententia Nostri cum corpore, sua (ipsius) materia et instrumento artissime conjuncta sit (Pol. IV, 15. 1334*b* 15 sqq.)[1]. Docet enim Aristoteles (Phys. II, 8. 200*a* 14): in materia inesse necessarium (ἐν γὰρ τῇ ὕλῃ τὸ ἀναγκαῖον), quantum ad propositum adsequendum (τὸ δ' οὗ ἕνεκα ἐν τῷ λόγῳ) necessarium aliquid esse constet (τὸ ἐξ ὑποθέσεως)[2]: et in omnibus rebus, quae ab ineunte aetate ad totum hominem erudiendum consuetumque faciundum necessariae videantur, corporis cura curam animi antecedat oportere (Pol. l. l. *b* 25 sq.), formam enim carere non posse materie[3]). — Materies autem vel substratum illud, unde eae quae vere et proprie sunt virtutes enascuntur, Aristoteli facultates (δυνάμεις) dicuntur (Eth. N. II, 4 in.), quae inter animi commotiones (affectus, πάθη — κινεῖσθαι ib. 1106 *a* 5) et habitus (ἕξεις ... ἔχειν εὖ ἢ κακῶς)

---

[1]) Cf. de caelo I, 1 in.; Phys. l. l. 192*b* 34.

[2]) Cf. § 10.

[3]) Cf. Met. VIII, 6. 1045*a* 33 sqq.; de an. II, 2 s. f. (404*a* 14 sq.)

tamquam mediae interpositae cernuntur (ib. 1105*b* 25 sq.). — Qua de re etiam alio loco (M. Mor. I, 7) uberius quidem sed minus, ut videtur, subtiliter disputatur. Est igitur non tam corporis quae dicitur virtus (*ἡ τοῦ σώματος ἀρετή*) velut robur, prospera valetudo caet. (Rhet. I, 5) quam ea potius quae '*naturalis*' vocatur virtus (*ἡ φυσικὴ ἀρετή*), — quae ad illam veram et perfectam virtutem (*πρὸς τὴν κυρίαν*) quasi materiem praebet (Eth. N. VI, 13. pr. 1144*b* 3), unde homo hac ex parte 'probus' (*σπουδαῖος*) esse et fieri debet. — His rebus cognitis ea quae sequuntur facile adparebunt.

13. Proprium illud et gravissimum Stagiritae: ultimum esse generando et increscendo (*γενέσει*) id quod natura et rei perfectae dignitate (*φύσει*) primum sit (cf. de part. an. II, 1. 646*a* 25), non minus in omnium rerum naturalium ordine[1]) et animantium, quam in eo principio expressum videmus quod ad hominum culturam spectat et educationem: quoniam formae causa materies, corpus animi gratia, cui inservire debet, exsistit et magis magisque perficitur (de an. II, 1 coll. c. 4). Is autem cuius gratia caetera omnia facta esse dicuntur (*πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν* Pol. I, 8. 1256*b* 15), cum in vitam ingreditur, animal est longe debilissimum et mire caducum, quod ideo quantum a natura (*φύσει*) destinatum videatur sociale (*πολιτικόν*) esse vel civile, tantum a cultura, ut ita dicam, erudiendum (*παιδευτέον*). Quam ob causam rei publicae esse censet Aristoteles, culturam humanam a pueris dirigere (Pol. IV, 15 sqq.; Eth. N. X, 10) neque hoc tantum verum etiam matrimoniis faciundis, liberis procreandis, vitae et victui feminarum praegnantium legibus et consulendum et prospiciendum (ib. IV, 16. 1335*a* 30 sqq.): ne quicquam noxii accidere possit hominibus et nascituris et natis, qui ab ortu quales quidam esse debeant (*ποίας τινος εἶναι χρὴ τὴν φύσιν* ib. c. 17 in. 1336*a* 22; 1334*b* 8). Legislatori igitur id maxime curandum est, ut quam optumam sibi aptissimamque '*materiem*' paret civibus futuris, qui neque corpore sint infirmi et manci, neque animo imbecilli et obtusi (ib. IV, 4. 1326*a* 1 sqq.). —

---

[1]) Cf. de p. an. IV, 5. 681*a* 12 coll. Hist. an. VIII, 1. 588*b* 4 sqq.; gen. an. II, 1.

Quem ad finem eo diligentior teneris cura adhibenda est quo magis infantiae aetate et animo et corpore fragiles sunt atque ad animi commotiones (*κατὰ πάθος ζῆν*) magis inclinati et propensiores (Eth. N. I, 1 extr. coll. Rhet. II, 12). Nam tametsi homo illis duabus ex partibus esse[1]) — *σύνθετον* — videtur (Eth. N. X, 8 in.): intuma tamen inter animum et corpus vicissitudo quaedam intercedit, nempe eadem ratione, quae, ut ait Aristoteles, inter materiem (*ὕλην*) est et formam (*εἶδος*), inter potentiam (*δύναμιν*) et actum (*ἐνέργειαν*, *ἐντελέχειαν*), qua et oculus materiae visus et visus oculi anima (*ψυχὴ* ... *αὐτοῦ ἡ ὄψις* de an. II, 1) dici potest[2]). — Nemo enim ignorat hanc Aristotelis quam animae dedit (l. l. 412*a* 19) definitionem, qua anima perfectio (*ἐντελέχεια*) dicitur esse et ea quidem prima (*ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ*) corporis natura geniti, potentia vitam habentis (*δυνάμει ζωὴν ἔχοντος* s. *ὀργανικοῦ*), cuius quidem partes sunt instrumenta. — Notionem quaerit Noster quam maxime universalem. Anima est, ut ait, non solum corporis perfectio (*ἐντελέχεια*), sed ea etiam corporis eiusque partium perfectio, quae est prima (*πρώτη*), qua quidem nulla est alia animantis prior, cum illi tamquam a principio insit omnis vivendi agendique potestas et omnis crescendi, sentiendi, cogitandique facultas. — Atque ideo Aristoteles educatorem vel rei publicae magistrum (*πολιτικόν*) et legislatorem (*νομοθέτην*) medici instar non solum materiem sed etiam animae humanae vitam et naturam cognitam et perceptam habere vult. — (Cf. Eth. N. I, 13. 1102*a* 18 sq.)

14. Sunt enim tria apud Aristotelem (Pol. IV, 15 extr.) quae ex omnium animantium ordine et progressu — in hominum animis et natura tamquam facultates (*δυνάμεις*) — latiore vocabuli sensu — distinguuntur[3]): unum quidem *τὸ θρεπτικόν* illud (nutritivum), ad quod nutriundi non modo sed etiam increscendi et conservandi pertinet facultas (de an. II, 1 coll. Eth. N. I, 6. 1097*b* 34 sqq.), tamquam in anima vegetanti consistens universe traditur plantis, bestiis hominibus commune

---

[1]) Cf. Met. VII, 11. 1037*a* 5 sqq.

[2]) Cf. Trendelenburg a. l. l. (Arist. d. an. p. 318 sqq.).

[3]) Cf. Eth. N. I, 13; de an. II, 3; III, 3. 427*b* 6 (coll. Trendelenburg l. l. p. 148 sq.).

aliquid esse; alterum deinde *τὸ αἰσθητικόν* (sensitivum) his duobus solum, bestiis et hominibus (ib. 1102*a* 28 sqq.) attributum, tertium denique *τὸ διανοητικόν* (intellectivum) unius humani generis proprium esse (de an. II, 3 in. et 414*b* 18 coll. Pol. l. l.). — Huic distributioni respondere etiam altera videtur, quae pari modo ad educandi doctrinam spectat (Eth. N. II, 4 in.). Discernit enim Aristoteles animi commotiones (affectus, *πάθη*) facultates — angustiore, ut videtur, verbi notione, — (*δυνάμεις*) habitusque (*ἕξεις*), qui exercendo et agendo conparati, partim 'morales' (*ἠθικαί*) partim 'intellectuales' (*διανοητικοί*) specie nominantur iterumque distinguuntur (Eth. N. l. l. coll. VI, 13). — Quamquam vero nostrum non poterit esse, de his rebus, quarum nonnulla iam supra commemoranda erant, accuratius hoc loco disputare, tamen disserentibus nobis de educandi principiis ea non praetermittenda sunt, quae hactenus Aristotelis de anima humana doctrinam attingere videntur. — Quodsi igitur in primam hominis aetatem respicimus, ex Nostri sententia septem annorum spatio definitam (Pol. IV, 17 extr.), in illas duas praesertim animadvertendum erit facultates, quarum altera attinet ad nutrimentum, corporisque èt curam et culturam, altera vero ad sensus sensuumque perceptionem, quasi primum animi alimentum. — Sentit enim Aristoteles (Hist. an. VIII, 1. 483*a* 33) simillimam esse infantium vitam vitae plantarum (*φυτῶν ζῶντι βίον* coll. Eth. N. X, 6. 1175*a* 35) et primum paullum admodum differre eorum animos a caeteris animantibus (*ἀνάλογον*). Itaque in hac educationis parte id potissimum agitur, quod ad accipiendum et patiendum (*τὸ πάσχειν*), ad confirmandas animi et corporis facultates (*τὸ δύνασθαι*) pertinet, pro materiae, ut ita dicam, natura: dum ipsum agere, quatenus intelligentiam quaerit (Eth. N. VI, 13 extr.) ipsum discere et doceri (cf. Pol. l. l. 1336*a* 21 sq.) fere plane abesse debent. Educationis est ei quae a natura fit distributioni obsequi (*τῇ διαιρέσει τῆς φύσεως ἐπακολουθεῖν* ib. IV, 17 extr.). Sed transeo ad singula nonnulla.

15. Educationis quae dicitur naturalis a principio ad conservandum confirmandumque corpus spectandum esse vidimus (*τὸ θρεπτικόν*), qua ratione materies (*τὸ δυνάμει ὄν*), id quod potentia est, magis magisque perficiatur. — Itaque hominis ab ortu

curarum munerumque series incipitur gravissimi ponderis[1]. — Alimenta dicuntur medicina esse, qua semper indigetur: lac nutricis primum large abundeque, cibum potumque post ex aequo, censet Aristoteles, modoque praebendum esse (Pol. IV, 17; coll. V, 4 extr.): vestitum debere non nimis gravem esse sed talem quo membra non conprimantur nec arceantur a libera motione (l. l. 1336*a* 10 sq.). Motionem enim ad incrementum haud exiguum conferre, sicut a natura plorando clamandoque puerorum corporis exercitatio quaedam (*γυμνασία τοῖς σώμασιν*) concessa sit (ib. *a* 34 sq.), quam non nisi iniuria (*οὐκ ὀρθῶς*) esse qui reprimi (vel legibus [*σημεῖα οὐδαμῶς εὐτυχῇ*] vetari) velint[2]. — Omnino autem Aristoteles in pueris educandis mediocritatem illam teneri vult, quae est inter nimium et parum: neque emollienda nec praeter modum exercenda esse corpora, tam in eo quo homines ad vim caloris et frigoris perferendam adsuefierent quam in omnibus rebus quae ad corporis membrorumque prosperam valetudinem ac firmitatem valerent (ib. *a* 18 sq.: *πάντα . . . ὅσα δυνατόν*). Naturam, tenacitate oppressam, nimia indulgentia languescere. — Quantum vero omnis animi contentio, quae inmatura videatur esse neque nisi damno validi corporis fieri posse, haud quidem iniuria vituperatur, tantum Noster ex alia ratione modicis exercitationibus uti commendat et quam maxime ludendo (l. l. *a* 23 sqq.: *δεῖ τοσαύτης τυγχάνειν κινήσεως ὥστε διαφεύγειν τὴν ἀργίαν τῶν σωμάτων· ἣν χρὴ παρασκευάζειν καὶ δι᾽ ἄλλων πράξεων καὶ διὰ τῆς παιδιᾶς*). Quaerentibus autem cur hac in parte tantopere certa quaedam singula persequar, ex iis quae sequuntur causa patebit. —

16. Ludum (*παιδιάν*) Aristoteles ad pueros bene educandos permagni esse momenti existimat (l. l. *a* 26—34); nec id quidem eius ipsius, dico, ludere ludendi causa, sed idcirco quod quam maxime valeat ad humanam totius hominis eruditionem et culturam (cf. Eth. N. X, 6. 1170*b* sqq.). — (*παίζειν δ᾽ ὅπως σπουδάζῃ, κατ᾽ Ἀνάχαρσιν, ὀρθῶς ἔχειν δοκεῖ*)[3]. —

---

[1]) Cf. § 13.
[2]) Cf. Plato, de legg. p. 791*a*—792*e*.
[3]) Cf. Eth. N. VII, 8. 1150*b* 17; Pol. V, 3. 1337*b* 29 sqq.

Inest enim, ut sentit Noster, quasi materies ad speciem futurarum virtutum puerorum in ludis, qui — ‘προοδοποιεῖν’ — viam videantur patefacere praecursionemque adhibere ad otia atque negotia posterioris aetatis (cf. Pol. l. l.). Natura quae inscia ipsa legibus quibusdam obsequitur[1]), laetitiam adpetere hominibus quoque in pectora insevit (Hist. an. VIII, 1 extr.: *διώκει δὲ πάντα τὴν κατὰ φύσιν ἡδονήν*); et maior cum celeri puerorum incremento vivendi vis coniuncta est — *καὶ ἡδὺ ἡ νεότης*[2]). — Itaque ludendo opportunissima est pueritia, non tam quo animi remissio (*ἄνεσις*) fiat vel recreatio (*ἀνάπαυσις*) ex opere perfecto quam confirmatio potius strenuitasque ad opera bene perficiunda (cf. Pol. l. l. coll. 1339*a* 29: *οὐθενὶ γὰρ ἀτελεῖ προσήκει τέλος*). — Finis inperfecto non convenit. — Quare Aristoteles puerorum ludos publice custodiri iubet (*παιδονόμοι*), ne indecori fiant et illiberales, ne laboriosi (*ἐπίπονοι*) et dissoluti (ib. IV, 17. 1336*a* 28 sq.)[3]). Pueri enim e sententia Nostri, homines, — ut ita dicam, — naturales, rerum varietate mutationeque cum gaudeant, semper agere aliquid volunt[4]). — Iam accipimus (ib. V, 6. 1340*b* 25 sqq.): pueros oportere quapiam re occupatos esse (*ἔχειν τινὰ διατριβήν*): neque iniuste hanc ob causam inventum esse putari Archytae quod infantibus praebeatur crepitaculum (*πλαταγή*), ut hoc utentes ex domesticis rebus nihil frangant: nam (*οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν*) puerilem aetatem quiescere non posse. — Quid igitur? Nostri sententia fere haec est: quidquid natura sibi deposcit, cave, ne umquam neglegas: at aliis aliud decori est et convenit: grandioribus natu industria decet animique contentio, minores ac pueri infantes per ludos exercentur. Sic membra redduntur mobilia et habilia; voluptate sensus acuuntur (Eth. N. X, 5. 1175*a* 30). Quibus rebus Aristoteles educatorum censet esse bene et apte uti, easque quam fieri possit optume et aptissime adiuvare, cum pueri ludentes ea imitentur quae adulti serio agant: *μιμήσεις τῶν ὕστερον σπουδαζομένων* (cf. Pol. l. l. 1336*a* 34). Fore tali modo, ut duplicem

---

[1]) De p. an. I, 1. 639*b* 30 sqq.; coll. Eth. N. III, 5 in.
[2]) Eth. N. III, 15; VII, 15. 1154*b* sq.
[3]) Cf. Plato, Legg. VII, 803 c. sq.
[4]) Rhet. I, 11. 1371*a* 25 sqq.

multiplicemque fructum capiat vir ex ea re quam puer iocando ludendoque exercitaverit.

17. De eo quod ad nutrimentum et incrementum corporis pertinet (*θρεπτικόν, αὐξητικόν*) postquam disserui, hoc quoque philosophi nostri proprium paucis considerandum est, quod cum ad sensuum perceptionem (*αἰσθητικόν*) spectet, illis ut continuato progressu (*τῷ ἐφεξῆς*) tanquam conditione dicitur contineri: *ἄνευ μὲν γὰρ τοῦ θρεπτικοῦ τὸ αἰσθητικὸν οὐκ ἔστιν* (de an. II, 3. 414*b* 33 sqq.). — Sensus (*αἴσθησις*) apud Aristotelem alienatio (*ἀλλοίωσις*) quaedam — patibilis — est re sensili (*αἰσθητόν*) in sentientem (*αἰσθανόμενον*) effecta[1]) (de an. II, 5): efficitur autem tali ratione, qualem inter se habere dicuntur *δύναμις* et *ἐνέργεια, ποιεῖν* et *πάσχειν*, agere et pati vel inferre et illatum aliquid recipere (l. l. 417*a* 9 sqq.): utrumque demum, quantumvis a natura alterutrius differat, ad unum idemque videtur convenire[2]) (de an. III, 2. 425*b* 25 *τοῦ αἰσθητοῦ ἐνέργεια καὶ τῆς αἰσθήσεως ἡ αὐτὴ μέν ἐστι καὶ μία, τὸ δ' εἶναι οὐ ταὐτὸν αὐταῖς*) — percipiendi, dicam, in actu, — animi quadam, ut alio loco fertur, per corpus motione (cf. de somno I, 458*a* 8: *κίνησίς τις διὰ τοῦ σώματος τῆς ψυχῆς ἐστί*). — Sensibus apertis res se obferunt; et quamvis ex Aristotelis sententia non omnium acutissimis praeditus sit homo (de an. II, 9 sq.) — cui tantum gustatus et tactus valde subtilis et praestans peculiares dicuntur esse (*διὸ καὶ φρονιμώτατόν ἐστι τῶν ζῴων*) l. l. 421*a* 22) — nihilominus tamen unus ex omnibus animantibus sensibus uti potest non modo ad conservandum corporis vigorem sed etiam ad animi bonam naturam excolendam et perficiundam (cf. Eth. III, 13; p. an. II, 1). Potest discere homo, et discendo movetur[3]). — Incipiens enim a sensu — *ἔχει γὰρ δύναμιν σύμφυτον κριτικήν, ἣν καλοῦσιν αἴσθησιν*[4]) — quo rerum formae et notae quasi auferuntur (de an. III, 9) motus, per imaginationem (*φαντασίαν — αἴσθησιν ἀσθενῆ*)[5]) propagatus, cum rerum perce-

[1]) Cf. Trendelenburg, l. l. comment. p. 362 sq.
[2]) Cf. Trendelenburg, l. l. p. 436.
[3]) Cf. de an. III, 3. 428*a* 19 sqq. coll. Met. VIII, 6. 1048*b* 28 sq.
[4]) An. po. II, 19. 99*b* 35.
[5]) Cf. Trendelenburg, l. l. p. 527 sq.; 766 sqq.; 449 sq.; 528.

ptarum imagine memoria (*μνήμη*) retenta residet[1]): dum adpetitus simul (*τὸ ὀρεκτικόν*) vi cogitationis commovetur (de an. l. l. coll. Eth. N. VI, 2), quo, ut ita dicam, adfectus, in pectore excitantur, qui non quaesiti sed ultro non minus quam necessario motus insequuntur[2]). — Quod cum ita fieri videatur, ut rerum et singularum et partium imagines in animo exsistant et visendi intuendique quasi simulacra, quorum ex multitudine intus recondita una procedat experientia (*ἐμπειρία*)[3]): est tamen in infimo eruditionis gradu in primis imitationis impetus, quo puerilis animus praecipue inpellatur. — Paullatim enim confirmatur memoria (de mem. et rem., 2 extr.) ad quam etiam reminiscentia (*ἀνάμνησις*) accedit, quae — pariter atque sermo — uni tantum generi humano attributa est[4]). — Illud vero Aristoteles, imitandi dico inpulsum, a pueris, sicut sentire et adpetere, cum natura nostra coaluisse (*σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων*) docet (Poet. 4. 1448*b* sq.) atque ut variatione et mutatione, — *ὅθεν εἴρηται „μεταβολὴ πάντων γλυκύ"*, — sic imitatione pueros omnes delectari (cf. Rhet. I, 11. 1371*a* 28 sqq.). Denique ut cognata plerumque et similia iucunda sint, — *ὡς ἧλιξ ἥλικα τέρπει*, — sic alienis rebus singulari quodam modo puerorum animos adfici, novisque ac raris vehementer commoveri cupiditatem (ib. *b* 13 sq.; *a* 25 sqq. coll. Eth. N. X, 4. 1175*a* 6). Ab admiratione enim, quis nescit, id quod una Noster cum Platone contendit[5]), omnem scientiam initium capere: in admirando (*ἐν τῷ θαυμάζειν*) inesse discendi cupiditatem (*τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν ἐστίν*). (Rhet. l. l. 1371*a* 32.) At permagni refert haec animo retinere.

18. Quodsi autem ex iis quae adhuc disputata sunt satis clare adparere poterit, qua ratione educatio in primis naturalis dicenda sit, in eo praesertim, — quatenus ad illam quidem rationem attineat, — offendi non debet, quod iam reminiscendi facultas (*ἀνάμνησις*) commemoranda erat. — Nimirum non nisi de facultate quadam (*δυνάμει*) hic agi videtur: sed rem

[1]) De mem. I, 450*a* 12 sq.; *a* 27 sqq.; 451*a* 14 sq.
[2]) De an. III, 10 extr.
[3]) Met. I, 1; an. po. II, 19.
[4]) De mem. 2; 453*a* 6—12; 451*b* 10 sqq.; *b* 28—452*a* 7.
[5]) Met. I, 2. 982*b* 12 sq. coll. Plato, Theaet. p. 155.

in educationis doctrina gravissimi habes momenti[1]). — Motus, qui in animo exsistunt, alius alium inter se excipiunt, insequuntur, comitantur (ἀκολουθοῦσιν ἀλλήλοις): cogitationes imaginandique figurae (φαντάσματα), et eae potissimum quae propinquae inter se et cognatae sunt, alia aliam certo quodam ex ordine (τάξιν τινά) etiam exsuscitant: nec negari potest, quantum hac in re consuetudo (ἔθος) valeat, qua saepe faciundo alteram fieri naturam (τὸ πολλάκις φύσιν ποιεῖ) docemur (de mem. et rem. 2. 451*b* 28—452*a* 3; *a* 28 sq.). Iam omitti non debet, quod sicut consultatio (βούλευσις)[2]) sic reminiscentia quoque conclusionis quadam sub specie (οἷον συλλογισμός τις) apud Aristotelem (ib. 453*a* 9 sq.) consideratur: nam sicut illa sic etiam haec disquisitio quaedam (ζήτησις) dicitur esse in eo, in quo animi valent motiones, sive affectus (ὁ ἀναμιμνησκόμενος σωματικόν τι κινεῖ, ἐν ᾧ τὸ πάθος). At longe aliud est consulere et deliberare, aliud reminisci, quod etiam inconsulte, ut videtur, et invite ex ipso movendo fieri potest (ib. 453*a* 20 sq.). Quodsi igitur cogitationes et imaginationes alia aliam insequi et comitari, quaerere ét invenire (ζητεῖν ... εὑρίσκειν) omnino possunt, id naturae adparet esse, et naturae .quidem solius hominis, sicut a natura quoque id est, unde sermonem a principio habemus (ib. 453*a* 6 sq.). Educatoris autem, qui naturam sequatur magistram, videtur esse, ut illos animi motus apte et commode ducere sciat atque dirigere. Accipit enim anima humana, quae oculis et auribus ei adducuntur, alimenta nec puerorum causa est, quod tali modo et vires augentur et cogitationes et cupiditates increscunt, quae instinctu quodam ad volendum et imitandum incitant. Sic facile discimus. Qua de re Noster: facile discere, inquit, (τὸ μανθάνειν ῥᾳδίως) omnibus naturaliter iucundum est (ἡδὺ φύσει πᾶσίν ἐστι): at non ludunt qui discunt: οὐ γὰρ παίζουσι μανθάνοντες, μετὰ λύπης γὰρ ἡ μάθησις (cf. Rhet. III, 10. 1410*b* 10 coll. Pol. V, 5. 1339*a* 28 sq.)[3]). Infantibus crepitaculum convenit, grandioribus pro crepitaculo

[1]) De mem. et rem. 2. 452*a* 7 sqq.

[2]) Cf. Eth. N. III, 5 coll. VI, 10.

[3]) Cf. Plato, Legg. VII, 803 c.

est disciplina (ib. 1340*b* 29)[1]. Sed hunc ad modum discendi puerilem animum intendere, — quoniam sine labore et dolore fieri non possit, — usque ad septimum aetatis annum ab Aristotele vetitum habemus. Itaque puerulos disciplinarum nonnisi spectatores (θεωροὺς τῶν μαθήσεων) usque eo iubet esse earum, quarum ipsi postea adulti participes fiant (Pol. IV, 17). At rursus qua maiore vi animi pueriles sensuum pulsu commoveri dicuntur eo magis educatoribus curae id esse oportebit, ut educandi materies, — si ita dici potest, — a rebus perniciosis et pravis quam maxime arceatur. — Turpia et indecora puerorum oculos et aures offendere non debent (ib. 1336*b* 33 sqq.). Operam dare necesse est, ut pueri quam minime fieri possit cum servis versentur, ne intersint publicis conviviis, ne aures praebeant iambis mordacibus neu spectent comoedias neu denique intueantur simulacra inpudentia aut tabulas pictas obscaenas atque deformes; de nutricularum fabulis custodiat lex (Pol. l. l. 1336*a* 39—*b* 23 coll. V, 5. 1340*a* 35). Ad quae Aristotelis haud ignotum illud conferre licebit poetae[2]: 'quo semel est imbuta recens servabit odorem — testa diu.' Atque etiam philosophus noster poenam ab adversantibus dari censet, quoniam plurimum valeat exempli vis et — πάντα γὰρ στέργομεν τὰ πρῶτα μᾶλλον — quia prima inpressio, cum sit semper vehementissima (ib. 1336*b* 33 sq.), talis quoque sit qua nulla res magis penetret molles puerorum in animos.

19. His rebus disputatis prima huius commentationis pars ad finem perducta est. — A principio enim quam vim natura (φύσις) habeat ad homines bene educandos (primum potissimum aetatis spatium respicientes) illustrare conati sumus. Itaque res adeo pervenit, ut homo ex ea quae est naturae necessitate ad illam, ut ita dicam, quae in moribus inest libertatem dimitti possit (cf. Pol. IV, 13. 1332*b* 1 sq. coll. Eth. N. II, 1 extr.): modo ut ea conservanda sit dignitas humana, e qua haud paullum aliquid ultra istud posse, sentire, cupere nos progredi debemus[3]. De memoria et reminiscentia postremo

---

[1]) Cf. § 16.
[2]) Horat. epist. I, 2. 69 sq.
[3]) Cf. § 2.

diximus. Ratio late patet. Nam animum nostrum unum esse ex Aristotelis sententia constat (de an. III, 9. 432*a* 22 sqq.)[1], et una in natura humana tamquam uno vinculo ex principio continentur et *αἴσθησις* et *νοῦς* et *ὄρεξις*, etiamsi id, quod summum est, quasi caeca potentiae natura restrictum quodammodo videtur tam diu, quam diu insciis nobis potentia (*δύναμις*) illa praevaleat (Eth. VI, 2). Verum etiam succrescente tenerae aetatis vi iam illucescit dies cuius luce flos coloratus quasi teneros rumpit utriculos: *τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα* (de an. III, 5). Sicut clarescente luce fit ut colores adpareant, ita quidquid in hominum natura iam potentia inclusum est mentem agentem requirit, unde ad actum (*ἐνέργειαν*) perveniat. Qua autem in re fieri non potest, ut natura abiciatur, cum clara conscientia et propriae intellegentiae vis accedunt atque illud munus educationis (*ἔργον παιδείας*) initium capit, quo — *τὰ μὲν ἐθιζόμενοι .. τὰ δὲ ἀκούοντες* — homines erudiri excolique dicuntur (Pol. l. l. 1332*b* 10). A natura enim omnia nobis — *εὐθὺς ἐκ γενέτης* — praevisa et praeparata sunt, quamquam aliud quiddam, *ἕτερόν τι*, — ut cum Aristotele loquar, — *τὸ κυρίως ἀγαθόν* — quod est proprie et vere bonum — requirimus et talia quaedam alio quidem modo in nobis inesse volumus (cf. Eth. N. VI, 13. 1144*b* 5 sqq.)[2]. — Nihilo tamen minus: 'Lapis sexcenties missus 'numquam sursum cadet nec umquam deorsum flagrabit flamma' (ib. II, 1. 1103*a* 20 sq.: *οὐθὲν γὰρ τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται, οἷον ὁ λίθος φύσει κάτω φερόμενος οὐκ ἂν ἐθισθείη ἄνω φέρεσθαι, οὐδ' ἂν μυριάκις αὐτὸν ἐθίζῃ τις ἄνω ῥίπτων, οὐδὲ τὸ πῦρ κάτω*). Fieri potius ita videtur, ut hominis in anima sentienti una simul conveniant naturae vis et intellegentiae lux, ut liberae voluntatis illa exsistere possit forma, quae cum sit bona et laude digna (*ἕξις ἐπαινετή*), virtus, propria ac vera (*ἡ κυρία ἀρετή*), cognoscitur. — Sed erit nobis de hac re accuratius disserendi locus.

Nunc vero illam Aristotelis sententiam etiam apud nostros homines multum valere, recentioris aetatis philosophus testis

---

[1]) Cf. Trendelenburg a. l. l. (III, 9 §§ 2 et 3) p. 528 sq. et 183 coll. de motu an. c. 10.

[2]) Cf. de an. III, 10 in.

est Carus, qui sensus (Gefühl) eam inducit definitionem, quasi sit punctum, in quo communicatio fit animae sine sui ipsius conscientia agentis cum ea quae sui ipsius compos agit (‘wo die unbewusst wirkende Seele an die bewusste sich mittheilt’)[1]. — Sed pergamus ad extremum cum Aristotele (Eth. N. l. l.): Quae igitur, inquit, neque a natura (*φύσει*) nec praeter naturam (*οὐτ' παρὰ φύσιν*) nobis innascuntur virtutes, ad eas (potius) suscipiendas ita a natura generati sumus (*πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτὰς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους*), qui perficiamur consuetudine ac more.

[1]) Carus, Psyche p. 288.

PARS ALTERA.

De ratione educationis moralis.

20. Morem et consuetudinem (ἔθος) alterum esse apud Aristotelem invenimus quo effici possit, ut vir bonus et probus fiat. — Namque — ἐξ ἔθους — a more τὸ ἦθος dicitur fieri, moralis quidam animi habitus, — vel indoles quaedam ad virtutem — (Eth. N. II, 1. l. l.), unde illa quidem propria virtus (ἡ ἠθική) ortum ac nomen ducat (cf. M. Mor. I, 6. 1186*a* 1 sq.: τὸ γὰρ ἦθος ἀπὸ τοῦ ἔθους ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν· ἠθικὴ γὰρ καλεῖται διὰ τὸ ἐθίζεσθαι[1]). — Eandem vero inter se rationem sequi videntur ἦθος et φύσις — omnia quidem ea quae morum ex parte moralia et ea quae ex parte naturae naturalia dicuntur, — quae Aristotelis ex animo inter formam interest et materiem, (εἶδος, τὸ ἐνεργείᾳ ὄν et ὕλην, τὸ δυνάμει ὄν): qua enim ratione μὴ ἄνθρωπος, μὴ ὄν, non re vera homo esse dicitur homo ineruditus (ἄμουσος), quippe qui patiundi tantummodo facultatis quodam in gradu consistat[2]). — (Itaque dissertatio ad illam venit notissimam rem, de qua Aristoteles in Metaphysicis, Physicis multisque aliis locis locutus est, quorum ex numero satis erit, nonnullos tantum eosque quidem qui maxime huc pertinent infra laudare)[3]). — Ratio patere vide-

---

[1]) Cf. Plato, Legg. VII, 792*e*.

[2]) Cf. Met. XIV, 2 coll. Phys. I, 6—9 (pr. 190*a* 4 sqq.; *b* 13 sqq.; 191*a* 34 sqq.; c. 8 extr. 192*a* 25 sqq.).

[3]) Met. VII, 7. 1032*a* 20 sqq.; VIII, 3 in.; c. l. 1042*a* 27; c. 2; IX, 8. 1050*a* 15—23; VIII, 5. 1044*b* 28 sq. — Phys. II, 3. 195*b* 3 sqq.; VIII, 4.

tur. Est enim in omnibus rebus quae fiunt forma qua id quod tamquam substratum (ὑποκείμενον, δεκτικόν) ei oppositum est, h. e. materies tali modo adficitur, ut motus ille (κίνησις) exsistat, in quo etiam hic omnia ad humanam naturam more supplendam posita sunt (Phys. I, 7. 190*b* 29 sqq.)[1]. Haec est actio (cf. § 11). Actio enim (ἐνέργεια, ἐντελέχεια) id quidem est quo agendo perfici debet quod antea nisi potentia perfici non posse visum est (Met. VIII, 6. 1048*a* 30 sqq.). Quae cum ita sint, agendo — ἐνεργείᾳ — ex Aristotelis sententia formam contineri dicendum est, qua in re primum inesse educationis moralis principium contendimus, h. e. actionem qua consuefiat homo, suam scilicet ipsius actionem, si quidem, ut cum Nostro (Eth. N. II, 1. 1103*b* 21; *a* 33) una voce (ἑνὶ λόγῳ) loquar, ex similibus actionibus (ἐκ τῶν ὁμοίων ἐνεργειῶν), iterum iterumque repetitis, habitus illi (ἕξεις) morales exoriuntur, atque exercendo agendoque discuntur, quae postquam didicerimus agamus exerceamusque oportet (ποιοῦντες μανθάνομεν ἃ δεῖ μαθόντας ποιεῖν). Etenim vivere ex animo Aristotelis fere idem valet atque ipsum agere (ib. IX, 9. 1170*a* 17 sq.). Ubi igitur, — ut verba verbis supra collatis conectam, — ubi neque natura nec praeter naturam sed more ac consuetudine (ἐθισμῷ) habitus is qui est moralis perficitur: ibi omnium rerum quaecumque a natura nobis obveniunt, earum facultates prius auferimus quarum perfunctiones nostrum est tamquam debita obire atque exsolvere (ἀποδιδόναι)[2]. — Itaque fieri debet, ut agendo, et saepius ac longe, iterum iterumque agendo — μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα (ib. I, 6. 1098*a* 18) — et consuescendo — ἐν τοῖς ὁμοίοις ἐθισμός, ut alia dicitur occasione (Pol. V, 5. 1340*a* 23) — ut ita quidem aliam nobis virtutem (ἀρετὴν ἐθιστήν) aliamque naturam procreemus: τὰ γὰρ ἔθη μεταβαλεῖν ποιεῖ (l. l. IV, 13 extr.; cf. Rhet. I, 11. 1371*a* 26). Universa quidem dicta habes ad ea quae Noster proposuit: πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος; principia enim ad universum quoddam spectant. Iam vero in his

---

255*a* 33 coll. Met. IX, 6. 1048*a* 30; de an. II, 4. 412*a* 6 sqq. (Trendelenburg, comm. p. 295 sq.)

[1]) Cf. de gen. et corr. I, 4; de an. II, 2.

[2]) Cf. § 19 extr. coll. Eth. N. II, 1. 1103*a* 23 sqq.

quamvis sint universe dicta, singulare aliquid et philosophi nostri proprium inest, quam ob rem in primis ad eius de anima doctrinam ducimur.

21. Forma apud Aristotelem cum in universa tum in singulae cuiusque rei natura et perfectione non constans aliquid aut manens significat, quoniam statim materies fieri potest quod modo forma fuit expressum, ita ut Aristoteles quodammodo unum censeat esse (*ἕν πώς ἐστιν*) id quod potentia et id quod actu sit (Met. VII, 6. 1045*b* 17 sqq.). Sequitur, ut incipiente actione ad primum illum agendi fontem necessario revocemur, ad formam scilicet formarum (*εἶδος εἰδῶν*), q. e. intellectus (*νοῦς*)[1], quo simul caeca naturae necessitas solaque patiundi conditio quasi perrupta potest videri. — Uti quidem manus dicta est (*ὄργανον ὀργάνων*) instrumentorum instrumentum vel instrumentum ante instrumentum (*ὄργανον πρὸ ὀργάνων*), i. e. instrumentum sine quo nullum aliud nec conparari nec tractari potest, sic intellectus (*νοῦς*) est, eminentissima, ut videtur, verbi sententia, formarum forma (*εἶδος εἰδῶν*)[2]. Discernendi abstrahendique facultatem respicit Aristoteles. Sensibus (*αἴσθησις εἶδος αἰσθητῶν*), materia relicta, rerum species ac formae quae se obferunt percipiuntur: intellectu autem, tamquam sollerti efficacique intellegendi potestate, vera rerum natura ex necessitate quadam cognoscitur ac praeformatur: ita, ut intellectus, quo accidentia omnia relinquuntur, et ipse intellegendi forma et quasi fons sit ac principium, unde caetera omnia originem ducunt exsistendique habent conditionem. — Hinc enim artificiose illa fingendi actio (*ἀφαίρεσις*)[3] initium capit, qua conscio animo *ἐξ ἀμόρφου ὕλης* forma, ut ita dicam, eximatur. Accuratius igitur si rei naturam intuemur, *τὸ κριτικόν* hic valet, discernendi facultas, cuius actus una et mentis et sensus commune dicitur opus esse, — *διανοίας ἔργον καὶ αἰσθήσεως*, — quo animi perceptio ad claram

[1]) De an. III, 8. 432*a* 2 sqq. coll. III, 4 (pr. 429*a* 22 sqq.; Trendelenburg, comm. a. III, 4 § 3 p. 469; c. 5).

[2]) De an. III, 8 coll. de part. an. IV, 9 (Trendelenburg, Arist. de an. p. 525 sq.).

[3]) Ib. III, 4. 429*b* 18 sqq. (coll. comm. Trendelenburg § 8 p. 478).

perveniat conscientiam[1]). — Percipit enim, ut aliis verbis dicam, ac discit homo sese ipsum eum esse qui sentiat, videat, audiat, sciat cogitetque (*ὁ δὲ ὁρῶν ὅτι ὁρᾷ . . νοοῦμεν ὅτι νοοῦμεν.* cf. Eth. N. IX, 9. 1170*a* 29 sq.); atque dum omnium rerum universitati sese ipsum agendo opponit, transitus hoc modo fit a caeca ista naturae universitate ad singularem quandam libertatem et ad laetam sui ipsius conscientiam. Quodsi Aristotelem locis laudatis recte intellego, res aliter se habere non poterit quam quod una profecto necesse est sua ipsius actio cum sui ipsius conscientia conveniat. 'Nihil quidem mentis actu est — sed potentia quodammodo (*δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς*) — prius quam intellegat' (*ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ* de an. III, 4)[2]). — Venit a natura homo, sensibus praecipue commotus. Et cum se ipsum omnibus caeteris rebus discernendo opponat, id primum cognoscenti animo concipiet, quod sibi ipsi videatur aut iucundum aut molestum, itemque aut bonum aut malum esse, laetitiam adferre aut dolorem[3]). Itaque ubi natura menti se offert, educationis (*παιδείας*) est accedere artificisque more mensuram et normam manu gerentis hic licentiam nimiamque potestatem illic coercere et utramque in partem omnibus rebus tali modo moderari, ut ad speciem verae humanitatis, fini proposito aptissimae, optumi honestissimique hominis-forma, uno animi et corporis concentu — *ἐνεργείᾳ* — perficiatur (*ὁ μὲν γὰρ λόγος εἶδος τοῦ πράγματος*)[4]). — Quare Aristoteles una iterum cum Platone (Eth. N. II, 2. 1104*b* 10 sq.): homines oportere eo statim a pueris (*εὐθὺς ἐκ νέων*) quodammodo sint adsuefacti et adsuetudine adducti, ut iis rebus quibus deceat (*οἷς δεῖ*) laetentur et doleant: hanc enim rectam esse (*ἡ ὀρθὴ παιδεία*) et educationem et institutionem[5]).

---

[1]) Cf. de an. III, 9 in.; 10. 433*a* 16; 11. 434*a* 17 sqq. coll. de motu an. c. 7. (701*a* 7); Eth. N. VI, 11.

[2]) Cf. Trendelenburg a. l. l., comm. p. 463 sqq. 485 sq. coll. Phys. III, 7 extr.; gen. et corr. II, 9. 385*b* 20; Eth. N. l. l.

[3]) De an. III, 7 et 9 coll. 10, 435*a* 25 sqq. (431*b* 6 – 12).

[4]) Cf. § 9 s f. (de an. I, 1).

[5]) Cf Plato, de legg. II, p. 653*a* (coll. Eth. N. X, 1 in.).

22. Postquam hoc modo ex intuma hominis natura cognoscere conati sumus, quid apud Aristotelem educationis moralis sit principium, rei inde, gravissimi ponderis ac momenti (*ῥοπὴν ἔχοντι καὶ δύναμιν*) occurrimus (Eth. N. X, 1 in.), in qua una simul agere et sibi conscium esse convenire debent[1]). Voluptatis sensus (*ἡδονή*) vim aliquam exercitatam (*ἕξιν*) indicat, unde fieri dicitur virium exercitatarum (*τῶν ἕξεων*), perfectionis magis magisque augescentis indicium (*σημεῖον*)[2]): (Eth. N. II, 2. 1104*b* 3 sq.: *σημεῖον δὲ δεῖ ποιεῖσθαι τῶν ἕξεων τὴν ἐπιγενομένην ἡδονὴν ἢ λύπην τοῖς ἔργοις*). Homo strenuus (*σπουδαῖος*), idemque bonus ac probus, bonum et pulcrum quod exercet (*τὰ καλά*) lubenti animo (*ἡδόμενος* — ut alibi dicitur) debet exercere (cf. M. Mor. II, 7. 1206*a* 10). Sensus autem (Gefühle) quod attinet, ad quos et is voluptatis vel doloris referendus est, artissimo vinculo cum sensuum (*αἰσθήσεων*) vel sensilibus perceptionibus cohaerent, quarum in consequentia ponendum erit — (*ᾧ δὲ αἴσθησις ὑπάρχει, τούτῳ ἡδονή τε καὶ λύπη*) — unde necessario (*ἐξ ἀνάγκης*) cupiendi impetus exoritur (de an. II, 3. 414*b* 1—6)[3]): utraque enim, et sensuum perceptio et cupiditas (*ἐπιθυμία, τοῦ γὰρ ὄρεξις*), altera ex altera, videntur pendere, dum imaginatio (*φαντασία*) tamquam media intercedit (ib. 413*b* 23 sqq.)[4]). Sed haec quidem hactenus. Aristotelis autem quantum magis huc pertineat de voluptate doctrina paucis hoc loco consideranda est (Eth. N. X, 1 sqq. coll. VII, 12 sqq.). Voluptas sensus quidam sibimet ipsi satisfaciundi videtur esse, in quo uno vivere et agere intumo animo consentiunt (*ἡ δ' ἡδονὴ τελειοῖ τὰς ἐνεργείας καὶ τὸ ζῆν δέ, οὗ ὀρέγονται*): quae definitio cum Nostri sententia forsitan maxime conveniat (cf. ib. X, 4 extr. 5 in.). Nulla enim per se generatione, nulla motione (*οὐθεν κίνησις οὐδὲ γένεσις*), — ut Plato id statuit, — quasi ultro aliquid puncti instar emergens (*ἐν τῷ νῦν ὅλον τι*) ea esse dicitur, quae ad omnem actionem perficiens atque absolvens — *ἐπιγενόμενον τέλος* — accedit (ib. 3. 1174*b* 9 sqq.;

---

[1]) Cf. M. Mor. II, 7. 1206*a* 3 sqq.

[2]) An. pr. II, 27 (Rhet. I, 2. 1357*b* 2 sqq.).

[3]) Cf. Trendelenburg, comm. p. 175 sqq. (de somno 1, 454*b* 29 sq.).

[4]) De part. an II, 17. 661*a* 6 sqq. (cf. § 17).

b 31 sq.). Neque enim sine muneris functione quadam (ἄνευ ἐνεργείας) fieri voluptatem, nec illam sine ea qua perficiatur (c. 5. 1170*a* 20). Eo quod suum quodque animal — sic Nostro placet — proprium munus habeat (ἔργον .. ἑκάστῳ ζῴῳ), ex eius dignitate ac pretio necesse esse domesticam (οἰκείαν) et propriam voluptatem aestimari atque discerni (δοκεῖ δ' εἶναι ἑκάστῳ ζῴῳ καὶ ἡδονὴ οἰκεία, ὥσπερ καὶ ἔργον ib. 1176*a* 3 sqq. coll. II, 2. 1105*a* 4 sqq.). Sic denique singuli cuiusque vita, voluptas munerisque perfunctio (ἐνέργεια) artissime inter se quae nullo modo seiungi possint, copulatae dicuntur esse (συνεζεῦχθαι) atque coniunctae (ib. c. 5 in.). —

23. Quae autem cum ita sint, ex rei natura iam satis adparebit, quanti in educandi ratione valeat voluptas, idque eo magis quo sit difficilius, a prima pueritia, ut deceat, moribus adsuefieri, — τὸ ἔθος χαλεπόν, ὅτι τῇ φύσει ἔοικεν, — et quo minus facile, voluptatem oppugnare (cf. Eth. N. II, 1 extr.; VII, 12). Quam ob causam etiam Plato: ὁ δὲ παῖς, inquit, πάντων θηρίων ἐστὶ δυσμεταχειριστότατον[1]). — Neque enim modo voluptati (ἡδονῇ) dolor (λύπη) ex Aristotelis sententia simpliciter opponitur, sed ei etiam quae muneris alicuius functioni domestica est (οἰκεία) et propria voluptati voluptas aliena (ἀλλοτρία) obsistit, quae specie alia est (ἑτέρα τῷ εἴδει) atque ab illa differt, unde varia in animo certamina oriuntur (ib. X, 5. 1175*a* 20—29). Etenim cum actio (ἐνέργεια) altera ex parte (οἰκείᾳ ἡδονῇ) — non sine intentione quadam — augeatur (συναύξειν), exacuatur (ἐξακριβειν), excitetur, conservetur, — ut una dicam, — expediatur: altera ex parte omnia in contraria vertuntur, ut corruptio (φθείρεσθαι), perversio (διαστρέφειν), — ut breviter dicam — interpellatio inpedimentaque exsistant (cf. l. l. 1175*a* 30—*b* 10). Qua in re, ut facile videbis, variae rationes fieri possunt, cum propemodum (παραπλήσιόν τι) alienis voluptatibus et propriis doloribus fere idem, vel — ut accuratius haec exprimam — simile aliquid at dissimili modo (οὐχ ὁμοίως) effici videatur atque alias simpliciter doloribus et voluptatibus: id quod ab Aristotele continuo theatrorum et discipulorum scribentium

[1]) Plato, de legg. VII, p. 808*d* (cf. Simonides, fr. 12).

ratiocinantiumve exemplis praeclarissime illustratur (l. l. 1175*b* 6—24). Perspicuum est non umquam hominem, — vel etiam sui tuendi et conservandi gratia, — eiusmodi sensu carere posse: vita enim est actio (*ἐνέργεια*), nec ulla actio sine voluptate, quae ab illa nullo modo nec divelli nec distrahi potest (*χωρισμὸν οὐ δέχεσθαι* ib. *a* 20 coll. IX, 9. 1170*a* 16 sqq.)[1]). — In educando autem excolendoque homine res nihilo secius se habere potest: nam omnem motum Aristoteles intra quaedam extrema versari censet (Met. XII, 2. 1069*b* 13 sqq.; Phys. V, 1. 226*b* 26 sq.), quibus sublatis commutationem fieri non posse (de gen. et corr. II, 9; Met. l. l. c. 2 in.; c. 3 in.). Praeter omnia autem materiae pondus id dicitur esse, quo, quia saepius iniquissime obstet, et hic et ubiubi forma sit efficienda[2]), inpedimentum fiat, ita ut dici non possit quantum ei quod et aliter se habere (*τῷ ἄλλως ἔχειν*) ideoque fini proposito adversari potest, spatii detur (cf. de an. III, 10. 433*a* 25: *ἡ δ' ὄρεξις κινεῖ παρὰ τὸν λογισμόν*). — Hinc patet quod hac ratione de arte et fortuna apud Aristotelem traditur (Eth. N. VI, 4. 1140*a* 17 sqq.), quae — *ἡ τύχη καὶ ἡ τέχνη* — eadem quodammodo (*τρόπον τινὰ περὶ τὰ αὐτά*) adspirare dicuntur, allatis Agathonis his: '*τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην.*' — 'Ars amat fortunam, et fortuna artem.' — Qua in re unum id est quod praetermitti non debet: illam nimirum id demum deficere quod haec sibi propositum consequitur, finem dico ex libero arbitrio aptaque ratione deliberatum atque susceptum (Phys. II, 5 in.)[3]). — Ex his rebus, si id nobiscum reputamus quod moribus[4]) propositum educatio moralis sibi vult conficere, — *χαίρειν τε καὶ λυπεῖσθαι οἷς δεῖ . . ἐθισθῆναι*, — contraria quaedam rerum bonarum et malarum exsisunt, quae sunt aequitas (*ἐπιείκεια*) et nequities (*φαυλότης*), et pulcri voluptas, quae laudanda, et turpis, quae vituperanda est (*τῶν μὲν καλῶν ἐπαινεταί, τῶν δ' αἰσχρῶν ψεκταί*), ex quarum certamine, ut ita dicam, eiusque eventu futura omnia pendent (Eth. N. X, 5. 1175*b* 24 sq.). Sed iterum philosophum nostrum

---

[1]) Cf. de an. II, 4; M. Mor. l. l.

[2]) Phys. I, 9 coll. Met. IX, 9. 1051*a* 15; gen. an. IV, 10. 778*a* 4 sq.; Eth. N. VI, 5. 1140*a* 33 sqq.

[3]) Cf. Met. VI, 2. 1026*b* 31; de cael. I, 12. 283*a* 32.

[4]) Cf. M. Mor. l. l. 1026*a* 10.

quasi vestigiis sequentes ad eius de anima (III, 10) doctrinam revocari videmur.

24. Id quo homines omnino ad agendum moventur, bonum dicitur esse, vel potius, ut apud Nostrum quasi corrigendo additur, quod videatur bonum (*τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ φαινόμενον ἀγαθόν*): cum hoc, quippe quod effici possit (*πρακτόν*) lubenti animo perceptum (*ἡδύ*) adpetitum suscitet eoque ad agendum inpellat (l. l. 433*a* 28 sqq.). Videri enim, ait, duo esse moventia, aut adpetitum aut intellectum (*ἢ ὄρεξις ἢ νοῦς*): si quis imaginationem, — ergo commune aliquid (*καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις . . φαντασία*), — ut intellegentiam quandam (*ὡς νόησίν τινα*) proponeret. Ut vero, inquit, mens et cogitatio, quatenus quidem ad agendum spectant (*διάνοια πρακτική . . διαφέρει δὲ τοῦ θεωρητικοῦ τῷ τέλει*), ad extremum (*τὸ ἔσχατον*) h. e. ad id si respexeris unde primum movendi pulsus datur, non movent sine adpetitu (*ἄνευ ὀρέξεως*), sic etiam imaginatio (l. l. III, 10 in.)[1]. — Hanc quidem, pergit, — *φαντασίαν* atque *ὄρεξιν* — posse aut rectam esse aut non rectam, cum intellectus ille omnis sit semper rectus (l. l. 433 *a* 25: *νοῦς πᾶς ὀρθός*)[2]. — Quod facile adparet nisi a sensibus omnino proficisci non posse. — Itaque — Aristoteles colligit, — adpetitui vel potius adpetendi facultati (*δύναμις ἡ καλουμένη ὄρεξις*) id non solum esse quo moveat instrumentum (*ᾧ κινεῖ ὀργάνῳ*), illud quod ad corpus pertinet (*σωματικόν*), sed etiam rem cupiditati vel adpetitui subiectam (*τὸ ὀρεκτόν*) qua ex re movendi principium ducatur (*ἀρχὴ τῆς κινήσεως*), et hanc rem bonum illud vel esse vel esse quod videatur (ib. *a* 25—29) seu (ut alio traditur loco) esse id quod pulcrum esse videatur (*τὸ φαινόμενον καλόν*) vel id quod re vera sit pulcrum (*τὸ ὂν καλόν* cf. Met. XII, 7 in.). — Licet ex hoc loco iam divina quaedam ad humana referamus: profecto divinum quoddam habebimus, ubi primum id quod vere humanum est elucet, ubi quidem illa cogitandi et intellegendi vis in cupiditatem penetrat, qua ex Aristotelis sententia fieri potest,

---

[1]) Cf. a. l. l, 433*a* 9—25. Trendelenburg, comm. p. 531 coll. Phys. VIII, 2 extr. —

[2]) L. l. *a* 25—27; *b* 5—10 coll. Eth. VI, 10 et 12.

ut velit homo[1]) (l. l. *a* 22 sqq.). Attamen nunc de cupiditate adpetituque agitur, quatenus intellegentiae meliorique voluntati opponuntur: et facile videbis quo Nostro duce tendamus. In primis enim id quod sub sensus cadit homines vel bonum vel pulcrum esse arbitrantur: pueros iam vidimus istis rebus potissimum atque eo magis adfici, quo alacriores sunt ardentioresque in eo maxime percipiundo et sentiundo quod animis voluptatem adfert[2]). — Et hinc primum certamina illa exoriuntur, naturae, quoad sensu movetur sensibusque voluptaria quaerit, et moris consuetudinisque, quantum ad recte honesteque vivendi rationem animos adpellunt. Iam multis locis Aristoteles ac praesertim in Ethicis libris de hac re (*τὸ μάχεσθαι*) disputavit[3]). — Et forsitan nihil impediat quin etiam Nostri ex animo de divino aliquo et humano inter se dissentienti loquare. Nec vero licet a proposito aberrare. — Atque vel artissime huc pertinet, quod quasi primis ictibus artificis formantis et fingentis materies penitus permota et percussa adparet, ad quam ille cum specie eius accedit quod ipse pulcrum et esse et videri cognoverit[4]). — Haud aliena est ab Aristotele ea qua usus sum imago: at res ipsa adeo non levis, ut subtilius ac paullo etiam accuratius enucleanda sit.

25. Domestica illa ac propria voluptas (*ἡ οἰκεία ἡδονή*), in qua hominis ipsius natura tamquam munita consedisse visa est sua vi innitens, alienae adversatur et repugnat. Huc accedit, tempus si respicimus, quod non tam eo quod e memoria ac reminiscentia in promptu est[5]), quam eo quod adest quodque praesens est, homines et pueri maxime, volubili quadem sensuum titillatione tenentur. Etenim cum intellectus, qui finem ubique respicit, ad futurum nos iubet animum convertere (*διὰ τὸ μέλλον ἀνθέλκειν κελεύει*): cupiditate e contrario, propterea quod futurum non prospicit (*διὰ τὸ μὴ ὁρᾶν τὸ μέλλον*) proximi momenti iucunditate abstrahimur (cf. de

[1]) Cf. c. 9. 432*b* 4 sq. (Eth. N. VI, 2; III, 6).

[2]) L. l. 432*a* 28 sqq. coll. de mot. an. c. 6 (cf. § 18). Eth. N. II, 2. 1104*b* 29 sq.; IV, 15. 1119*b* 5 sqq.

[3]) Ib. I, 13 in.; III, 15; VII, 8; X, 10.

[4]) Cf. § 1 coll. Eth. N. II, 5.

[5]) Cf. § 18 (Phys. IV, 11).

an. III, 10. 433*b* 6—10). Itaque dubitare non possumus, quin vel optume etiam de pueris dicendum sit, quod apud Aristotelem alio loco in universum de omnibus fertur, qui perturbationibus dediti vitam degunt (*πάθει ζῶντες*). — Persequi enim domesticas dicuntur voluptates et ea unde pariantur, dolores autem his rebus contrarias perfugere: attamen eius quod pulcrum quodque vere iucundum est (*τοῦ καλοῦ καὶ ἀληθῶς ἡδέος*) ne notionem quidem animis habere, nimirum cuius dulcedinem non umquam degustarint (*ἄγευστοι ὄντες*) (cf. Eth. N. X, 10. 1179*b* 14). Domesticae (*οἰκεῖαι*) vocantur voluptates, eo quidem sensu quo iam supra alienis (*ἀλλότριαι*) opponuntur: haec ex intuma cuiusque viventis natura munerumque functione enasci, illae tamquam extrinsecus advenire videntur: unde eandem inter se, quae omnino inter voluptates et dolores intercedit, rationem sequuntur (Eth. N. X, 5. 1175*b* 20 sq.)[1]. Honestatis quasi ad fontem respicias velim, ad formarum formam, unde etiam virtutis exoritur[2]. — Hac vero propria ac domestica voluptate, qua id praesertim quod singuli cuiusque hominis singulare ac peculiare est contineri videmus, timendum est, ne summum illud ac divinum, quod universe totius generis humani proprium est exstinguatur atque opprimatur. Cui rei quod contrarium est exemplum, Epicureorum cogites doctrinam. — Quae cum ita sint educatores et artifices, melius etiam quam medicos, materiem iis traditam et cognosse necesse est et cognitam scire quem ad modum bene tractetur (ib. I, 13 in.). Neque ignorari debet, quanti quae huc accedunt, affectiones (*πάθη*) animique perturbationes, ut cupiditas (*ἐπιθυμία*), ira et timor, invidia, laetitia, amor, odium, desiderium, aemulatio, misericordia, — *ὅλως οἷς ἕπεται ἡδονὴ ἢ λύπη* — (ib. II, 4 in.) momenti sint: quae quamvis sint ipsae per se nec laudabiles nec vituperabiles, tamen tales ut fiant efficitur, pro eo ut huc an illuc, ad adpetitus an intellectus, lubidinis an honestatis partem accesserunt[3]. — (Cf. l. l. 1105*b* 28—*a* 4.) — De materie et forma res agitur: qua in ratione Aristoteles non nescit, quantum quoque in moribus et consuetudine, ut recte vivamus,

---

[1]) Cf. § 23.
[2]) Cf. §§ 11, 21, 24.
[3]) Cf. § 12 extr.

pudoris valeat et paenitentiae[1]), metus et spei vis[2]), cur laus et vituperatio, praemia et poenae adhiberi debeant[3]). — Nam adeo non levis est pugna illa nec uno negotio simul decreta et decertata, ut, cum in perfectione magis conpositio consistat, denuo et progrediundi omni in gradu fere idem oriatur, usque dum haud molesta sint ea quae deceant, quippe quae consuefacta sint (*συνήθη γινόμενα*) atque in alteram naturam conversa (cf. Eth. N. X. l. l. *b* 35). Hoc denique modo Aristoteles fieri id putat, quo discordia tandem commutetur in concordiam, dissensio in consensum et in certaminis vicem placatio possit succedere. (Eth. N. I, 13 extr. coll. IX, 4.) — Etenim non tam supprimi quam rationis et intellegentiae imperio teneri debent voluptates et cupiditates, illas regnare et ducere, has parere et obsequi sicut in civitate bene constituta cives parere et obsequi debent legislatoribus et patri familiae liberi et servi, — *οὕτω δὲ τάττει καὶ ὁ λόγος* (ib. III, 15 extr.; I, 13. 1102*a* 16 sqq.). Utriusque enim, et adpetitus et intellectus, unum censuit Noster eundemque oportere finem esse, pulcrum illud (*σκοπὸς γὰρ ἀμφοῖν τὸ καλόν*), ex cuius perfectione rectam voluptatem et veram percipiamus, cum quidem conscii nobis simus nosmet ipsos agendo et informando perfici ad speciem illam more artificis propositam, h. e. ut alio loco (Met. XIII, 3. 1078*a* 36 sq.) invenimus, (*τοῦ καλοῦ εἴδη*) ad ordinem (*τάξιν*), proportionem (*συμμετρίαν*), singuli denique unius cuiusque (nostrum) ad definitam et propriam naturam (*τὸ ὡρισμένον*). — Hinc demum unitas illa nascitur quae a principio educationis moralis *mensura* habenda est. — A natura enim vim ac potestatem ducimus: mensura a mente proficiscitur: unde cum una cum natura mens informetur, pulcrum efficitur (*τὸ καλόν*), in quod intuentes, — ut cum Aristotele loquar, — boni artifices operantur, ut opus bene perficiatur (Eth. N. II, 5. 1106*b* 9 sqq.: *οἱ δ' ἀγαθοὶ τεχνῖται, ὡς λέγομεν, πρὸς τοῦτο βλέποντες ἐργάζονται*). — Mensuram vero et modulum unum docemur esse et principium (*μέτρον .. τὸ ἕν*), quo primo singulum quodque cognoscatur (*ᾧ πρώτῳ ἕκαστον*

---

1) Eth. N. IV, 15 in. III, 2. 1110 *b* 1 sq.
2) Ib. c. 9. 1115 *a* 10 sq.; 11. 1107 *a* 9 sq.
3) Ib. III, 1. 1110 *a* 30 coll. X, 10. 1179 *b* 8 sqq.

γιγνώσκεται Met. IX, 1). — Dicit enim Aristoteles (Eth. N. l. l.), peccari quidem (*τὸ ἁμαρτάνειν*), inter nimium et parum errore versari, multum posse multisque modis (*πολλαχῶς*), — id quod iam Pythagorei coniectura adsecuti essent (*εἴκαζον*), — at recte facere (*τὸ κατορθοῖν*) simpliciter tantum (*μοναχῶς*) unoque modo fieri[1]). — '*ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί.*' (Eth. N. II, 5 extr.) — Qua re considerata ad summum aliquod pervenimus, quo et omnia adhuc dicta tendebant et omnia etiam quae dicenda sunt ita referre poteris, ut quodammodo huius rei explanatio videantur. — Hinc igitur totius operis unitatem habebis: si quidem totius hominis, non animi neque corporis, sed una animi et corporis educatione institutioneque opus sit[2]). — (Quem ad modum vero Aristotelis ex animo haec omnia dicta sint, hoc spero cum ex antecedentibus tum ex iis quae sequuntur perspicuum fore.)

26. Quod primum ad illam mensuram attinet, de qua ex sententia Aristotelis locuti sumus, longe abest, ut hoc ad illius Platonis perfectissimi alicuius et pulcerrimi ideam referri, nedum aliquodammodo cum Sophistarum simulata ista sapientia consentire possit Nostri doctrina, qui idem hac ipsa in re vel longissime a Protagora dissentit[3]). — Accipitur enim ab homine (obiective), non datur (subiective) mensura illa, quae moralis dicitur, quod moribus adhibenda est. Aristoteles (Eth. Nic. III, 6 in. 1113 *a* 15 sqq.) postquam de humani consilii (*προαιρέσεως*) libertate — *τύπῳ* — disputavit, ambiguum hoc proponit: utrum voluntas omnino eius sit quod est bonum an eius quod bonum esse videatur — (*ἡ δὲ βούλησις . . δοκεῖ δὲ τοῖς μὲν ἀγαθοῦ εἶναι, τοῖς δὲ τοῦ φαινομένου ἀγαθοῦ.* — in qua sententia nescio an articulus ad verbum quod est *ἀγαθοῦ* ex iis quae sequuntur supplendus sit). — Quam ad rem si quid contrarie dictum in hoc inesse videtur et in illo (id quod tam breviter quam subtiliter demonstratur), utrique hoc quaerendo occurritur: Quodsi haec, ait, minus placeant,

---

[1]) Cf. Eth. N. III, 10. 1115 *b* 11—22 (coll. de an. l. l. 433 *b* 10—13 et Trendelenburg, comm. p. 533; Rhet. I, 11. 1370 *d* 7 sqq.).

[2]) Cf. §§ 1 et 9.

[3]) Cf. Met. X, 1. 1053 *a* 35 sq. coll. 1007 *b* 21; 1047 *a* 4 sq.

numne id potius sub voluntatem cadere (*βουλητὸν εἶναι*) putemus, quod universe (*ἁπλῶς*) et absolute sit bonum (*τἀγαθόν*), singulo autem cuique (*ἑκάστῳ*) id quod bonum esse videatur (*τὸ φαινόμενον*). Fore inde homini probo (*τῷ σπουδαίῳ*) tale quod re vera (*κατ᾽ ἀλήθειαν*), pravo contra (*τῷ δὲ φαύλῳ*) quidquid forte oblatum sit (*τὸ τυχόν*), bonum. — Et postquam verbi gratia similia quaedam ad habitum corporis et sensus spectantia attulit: Eum quidem, qui *σπουδαῖος* sit, singula atque omnia recte discernere (*ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς*), nimirum, cui quaque in re id quod verum sit (*τἀληθές*) videatur: nam ad unum quemque habitum (*ἕξιν*) ea quae sint propria (*ἴδια*)[1], et pulcra esse et iucunda, et hoc quidem fieri fortasse, ut homo probus a caeteris longe (*πλεῖστον*) differat iisque praestet, quod in omnibus et singulis rebus verum perspiciat, quippe quarum quasi norma sit et mensura (*κανὼν καὶ μέτρον*). — Sic Noster. — Habemus igitur, mensuram et normam quasi esse hominem probum. At haec nunc nobiscum reputemus. Quaeritur initio: *πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος;* quomodo vir fiat probus?[2]) Ad quae Aristoteles: probum fieri hominem primum natura, tum more ac consuetudine, et hoc quidem, ut nunc videtur, ea ratione qua mensura adparet esse homo probus (*σπουδαῖος*). Dixerit quis: Probus igitur (*σπουδαῖος*) fieri videtur is qui probitatis mensura ac norma educatur vel is qui fit talis, qualis sit probus (*σπουδαῖος*). — Quid ergo? circulone adhuc versati videmur? Minime vero. Quodsi virtus perfecta eo quodammodo revertitur, unde a principio profecta est, verumtamen adeo multum interest inter probum esse (*εἶναι σπουδαῖον*) et probum fieri (*γίνεσθαι σπουδαῖον*), ut hoc ab illo tam longe distet quam materies rudis a forma perfecta[3]). — Quae cum ita sint, quis dubitet quin ad *γένεσιν* virtutis moralis, h. e. ad generationem probitatis honestatisque, omnis res illa spectet, quae ut accuratius nunc pertractetur, hoce vel primum explorandum est, qualis sit ille Aristotelis *σπουδαῖος*, toties in hoc sermone usurpatus.

---

[1]) Cf. Top. I, 5. 102 *a* 18 sqq. coll. I, 4. 101 *b* 19 sqq.
[2]) Cf. §§ 9 et 20.
[3]) Cf. Trendelenburg, H. Beitr. II, 385 sq.

Cuius vocis si quae tradita est definitio, inde ex ea emanabit id quod cogitatione nunc hauriendum est. —

27. Atque hanc de qua agitur definitionem praebet Noster, idque quidem in eius loci contextu, quem crebro laudavi (Pol. IV, 13), cum hominem probum doceat esse talem, cui propter virtutem bona sint ea quae universe sunt ac simpliciter bona (*ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ὁ σπουδαῖος, ᾧ διὰ τὴν ἀρετὴν [τὰ] ἀγαθά ἐστι τὰ ἁπλῶς ἀγαθά.*) — Ubi quod legimus [*τὰ*], vocem uncis inclusam, recte sine ulla dubitatione ut deleamus admonuit Trendelenburgus. — At pondus illius definitionis et gravitas in eo perspicuum est consistere, quod verba quae sunt *ἀγαθά* et *τὰ ἁπλῶς ἀγαθά* inter se opponuntur: quorum distinctio eo quod est *ἁπλῶς* vel maxime significatur, quo accedente angustioribus finibus notio circumscribatur. Verbi autem vis eo praecipue adparet, quod vocabulum quod est *τινί*, si non, ut persaepe fit, ipsum, sensu tamen apud Nostrum fere semper oppositum invenies. — In quo hoc *τινί*, tamquam dativus personae, eum singulariter cui aliquid bonum est significat. — Haec oppositio iam praeclare Topicorum loco (III, 1. 116*b* 9 sq.) illustratur, ubi exempli gratia *ὑγιάζεσθαι τοῦ τέμνεσθαι* — sanum fieri et secari — ita discernuntur, ut — scil. aegroto alicui — illud *τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς ἀγαθόν* (universe bonum), hoc *τὸ δὲ τινί* (singuli cuidam) porro dicatur. Utrumque est bonum: aliud autem bonum est *τὸ ἁπλῶς*, aliud *τὸ τινί*, cum illud (*ὑγιάζεσθαι*) universe sit et absolute, hoc (*τέμνεσθαι*), relatione quadam adiecta, certo cuidam homini vel animanti bonum. — Huiusmodi in Ethicis quae Nicomachea dicuntur (V, 2. 1129*b* 1 sqq.). De homine iniusto definitio proponitur, qui *πλεονέκτης* sit, cum plus quam par sit sibi deposcat bonorum, non omnium omnino, sed eorum tantum quantum ad secundam vel adversam fortunam attingant, quae sint bona universe (*ἁπλῶς*) quidem ac simpliciter illa semper, huic vel illi (*τινί*) non semper. Homines vero, inquit, haec sibi votis exposcunt et persequuntur. Id vero fieri non oportere, immo vero exorandum hominibus potissimum esse, ut quae simpliciter atque universe, h. e. si non distinxeris, bona sint (*τὰ ἁπλῶς ἀγαθά*), ea quoque (*καὶ αὐτοῖς ἀγαθὰ εἶναι*) iis ipsis sint bona: (quod si eveniat, tum)

adsumenda deligendaque esse ea quae iis ipsis sint bona (*τὰ αὑτοῖς ἀγαθά*). — Eiusdem libelli ex compluribus aliis qui huc pertinent[1]) locis iterum licebit nobis conparare[2]) Eth. N. III, 6. 1113*a* 23, ubi haece facit verba: *ἆρα φατέον ἁπλῶς μὲν καὶ κατ᾽ ἀλήθειαν βουλητὸν εἶναι τἀγαθόν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον;* Fatendumne est, universe et re vera sub voluntatem cadere bonum, at vero unicuique bonum quod esse adparet? Hinc aliquodammodo respondere inter se videntur *τὸ φαινόμενον ἀγαθόν* et *τὸ τινί*: profecto idem propemodum significare poterunt, etsi non omnino. — Nam cui (*τινί*), quae simpliciter, h. e. si non distinxeris, bona sunt, velut divitiae et talia, per virtutem bona ipsi et sunt et videntur. Illud igitur *τὸ τινί* (*ἀγαθόν*) semper est bonum aliquid, huic vel illi non semper. Potest autem, — vel etiam oportet, si id quod moribus efficiundum est respicimus, — hoc, dicam, *τὸ φαινόμενον ἀγαθόν* vere bonum esse, attamen per se non necessario, quoniam nihil inpediat, quominus vel pessimum aliquid sit. — Sane homini bono ac probo semper id universe atque absolute bonum esse oportebit, quippe cui aliud bonum et esse et videri ne cogitari quidem possit. Fit enim ex eius natura (*διὰ τὴν ἀρετήν*), ut quidquid bonum sibi adpellat, hoc re vera sit absoluteque bonum[3]). — Hinc demum satis clare adparet, quid sibi velit Aristoteles, cum loco illo supra laudato (de an. III, 10) cupiditatem dicat *διὰ τὸ ἤδη* retrahi iubere, quia quod praesenti temporis momento iam voluptate adfecerit (*τὸ ἤδη ἡδύ*) et esse videatur *ἁπλῶς ἡδύ* et *ἁπλῶς ἀγαθόν*. — Non *ἐπιθυμία* (cupiditas) sed intellectus solum verum, ideoque quod absolute bonum omnique tempore vigens est perspicit. Quodsi et hic et ubique ad personam quandam referendum est id quod *τὸ τινί* ei quod est *ἁπλῶς* oppositum dicitur[4]); haud paullum aliquid haec, quae nonnumquam apud Nostrum invenies, '*τὰ μὲν ἡμῖν — τὰ δὲ ἁπλῶς*' ad rem magis magisque conprobandam conferre possunt (cf. Eth. N. I, 2

---

[1]) Cf. l. l. V, 13 s. f.; VIII, 4 in.; c. 13 in. caet.

[2]) Cf. § 26.

[3]) Cf. Eth. N. III, 6 l. l. coll. IX, 9. 1170*a* 8 sqq.

[4]) Cf. de an. III, 7. 431*b* 12 (Trendelenburg, comm. p. 521 sq. coll. p. 533).

extr.). Nec vero omnia omnibus locis explicanda et expediunda sunt: erit fortasse et alibi nobis de hac distinctione disserendi locus. Id tamen ex iis quae modo attulimus satis constat, habere nos proprium aliquid ex Nostri sententia, quod cum ad consuetudinem illam (*ἐθισμόν*, Pol. IV, 13 extr.) tum ad eam animi humani commutationem spectet, qua is probus (*σπουδαῖος*) et dici et fieri debeat, cui id quod natura ac re vera inveniatur bonum, bonum et iucundum sit per se ipsum. (Eth. N. IX, 9. 1170*a* 14 sqq.: *τὸ γὰρ τῇ φύσει ἀγαθὸν εἴρηται, ὅτι τῷ σπουδαίῳ ἀγαθὸν καὶ ἡδύ ἐστι καθ' αὑτό.*)[1] —

28. Per totam philosophi nostri de moribus doctrinam illa patet gravissima sententia, quae l. l. verbis expressa est, quae sunt *διὰ τὴν ἀρετήν* (scil. *τὴν ἠθικήν*), quibus commutatio significatur ad animi honestatem conparandam — (*τὰ γὰρ ἔθη μεταβολεῖν ποιεῖ*). — Non satis esse Aristoteles putat ad generandam virtutem ea quae virtutis sunt (*δικαίως ἢ σωφρόνως*) agere (Eth. N. II, 3. 1105*a* 28 sqq.): *ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πως ἔχων πράττῃ.* — Is igitur qui agit quodammodo constitutus modo ita agat, ut more et consuetudine confirmatus constantiaque praeditus (*βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως*) ex animo recto honestoque recta honestaque faciat: tum demum actio quae virtutis est, virtutem (*ἕξιν*) sese praestare poterit. Oportere enim, ut alibi traditur, indolem quandam moralem — ut ita dicam — virtutis propriam in nobis iam ante quodammodo inesse vel, ut singulari vocabuli sensu potius dixerim, prae-valere et animum nostrum praeoccupare (Eth. N. X, 10. 1179*b* 29: *τὸ ἦθος προυπάρχειν πως οἰκεῖον τῆς ἀρετῆς, στέργον τὸ καλὸν καὶ δυσχεραῖνον τὸ αἰσχρόν*). — Quodammodo enim (*πως*) virtutem virtus antegrediatur ex Nostri sententia necesse est: nimirum eo quidem modo, quo ad *γένεσιν* honestatis, ad educationem, revocamur, quo una contrarium si quid aut sibi repugnans in illis verbis inesse videtur et dimovetur atque dissolvitur[2]). — Explanationem sententiae in alium contextum conferre debemus. Hic satis erit artificum

[1]) Cf. §§ 9 et 20.
[2]) Cf. § 26 s. f.

illorum reminisci, educatorum et parentum [1]), qui speciem et formam honestatis cum praebeant, virtutum quasi igniculos puerili animo iniciunt atque incendunt. — Et hac in re norma adparuit et mensura (*κανὼν καὶ μέτρον*) vir probus et in virtutibus exercendis qui est strenuus (*ὁ σπουδαῖος*). Quid ergo? nonne in singulis rebus earumque progressu idem valebit ea conditio, cur ille qui virtuti studet studiosus ac strenuus adpellatur, ita quidem, ut cum Aristotele dicamus (l. l. 1176 *a* 17 sq.): *ἔστιν ἑκάστου μέτρον ἡ ἀρετὴ καὶ ὁ ἀγαθός, ᾗ τοιοῦτος,* ut unius cuiusque rei mensura sit virtus et vir bonus, qua quidem talis sit [2])? — Inde habes quo a principio agendi exercendique progressus metiare. Forma quae omnino efficiunda est, pulcri gratia efficitur (*τοῦ καλοῦ ἕνεκα· τοῦτο γὰρ τέλος τῆς ἀρετῆς.* Ib. III, 10. 1115*b* 14) [3]). — Itaque in ea actione (*ἐνέργεια*) quae moralis est, virtute quasi gradum significari videbis, unde tamquam vi perfecta instructi porro progredi possumus ad id quod magis magisque et pulcrum est et bonum. — Quodsi ex his rebus satis clare adparet, quid sibi velint verba illa ad notionem *σπουδαίου* definiendam usurpata, non minus lubenter locum conprobabis, quem virtuti morali in hac disputatione apte tenendum concedere oportet. — Restat igitur, ut hanc notionem Aristotele duce ex proposito brevi illustrare conemur [4]). —

29. Haud ignotum est quod praecipit Aristoteles de forma virtutis: Est igitur, inquit, virtus (*ἡ ἀρετή*) habitus ad consilium capiundum deliberationemque spectans (*ἕξις προαιρετική*), qui in ea quae ad nos conparatur mediocritate positus (*ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς*), ratione definitus est, uti quidem vir prudens definierit (*ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.* Eth. N. II, 6 in.). — Occasione data, ad verbum quidem accurate tamen transferendi difficultatem licebit commemorare, quae ad hanc definitionem adeo perspicua videatur, ut prorsus vix vel nullo pacto superari queat. —

---

[1]) Cf. § 25.
[2]) Ibid. in.
[3]) Coll. l. l. IV, 4. 1122*b* 6.
[4]) Cf. §§ 20 sq.

Habet autem definitio illa virtutis moralis tres, ut ita dicam, partes speciales, quae accuratius considerandae sunt et quae dicuntur: *consilium*, quod ad liberam voluntatem humanam spectat (*προαίρεσις*), — *mediocritas* (*μεσότης*), — *agendique prudentia* (*φρόνησις*). Quodsi habitu (*ἕξει*) vis quaedam significatur, ex continuata exercitatione ad constantem naturam perfecta, quae et actione (*ἐνεργείᾳ*) exorta et actionis (*ἐνεργείας*) porro quasi fons et causa adparet[1]): dignitatis cuiusdam notio accedat necesse est laudandique auctoritas (*ἔπαινος*), ut forma honestatis exsistere possit (Eth. I, 12. 1103*b* 12 sq.). — Dignum vero quod laudetur aut ex contrario quod vituperetur, non id est, quod necessario fit (*τὸ ἀεί*), sed id potius, quod liberi arbitrii (*ἐνδεχόμενον καὶ ἄλλως ἔχειν*) et penes nos (*ἐφ' ἡμῖν*) est. — (Ib. III, 4. 1111*b* 29: *ὅλως γὰρ ἔοικεν ἡ προαίρεσις περὶ τὰ ἐφ' ἡμῖν εἶναι*.[2]) — Is qui omnino pravus est, ne potest quidem bonus fieri. — Virtus enim ut nasci possit (*γένεσις*) virtutis quadam ab indole pendet (*τὸ ποιοί τινες εἶναι*), in qua consilii capiundi libertas consistit et voluntatis, unde homo ad bonum aliquid agendum exercitandumque sua sponte movetur (l. l. c. 6. 1113*a* 23 sq.)[3]). — Homo, cuius in potestate est, agat necne, adfirmet an neget (*ἐν οἷς τὸ μὴ καὶ τὸ ναί*): eatenus rerum suarum gerendarum — *ὧν καὶ αἱ ἀρχαὶ ἐν ἡμῖν* — dominus est atque magister (cf. III, 7. 1110. 3*b* 3—21). Sequitur enim apud Aristotelem ex spontis alicuius notione (*τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ ἀκούσιον*)[4]), ex qua factorum actionumque causa (*ἡ αἰτία*) omnino diiudicatur et exsistimatur, — quatenus quidem aut intra hominem (*ἐν αὐτῷ*) aut extra eum ipsum (*οὐ ἔξοθεν*) agendi principium sit — tamquam singula quaedam species id quod consulto fieri vel consilio capto (*προαιρετόν*) dicitur, accedente deliberandi (*τοῦ βουλεύεσθαι*) differentia[5]). — (L. l. III, 4 extr.: *τὸ δὲ ἑκούσιον οὐ πᾶν προαιρετόν . . ἡ γὰρ προαίρεσις μετὰ λόγου καὶ διανοίας*.) — Hinc fieri potest, ut morum dignitas atque honestas

---

1) Cf. Eth. Nic. II, 1 (1103*a* 17 sq.); 3. 1105*b* 2 sq.; 4 extr.; V, 1. 1129*a* 13 sqq.; Top. IV, 5.

2) Cf. Eth. N. III, 1 in.

3) Cf. § 28.

4) Eth. N. III, 1—4.

5) Ib. 1110*a* 15 sqq.; *b* 15 sq.; 1111*b* 1 sq.

primum ex consilio capiundo ponderetur, id quod maxime proprium habetur (*οἰκειότατον*) et peculiare virtutis (ib. III, 4 in.). Consultatio autem ad cogitandi facultatem refert: ex cogitatione enim, quasi in cupiditatem inmersa, nascitur voluntas. Nam cogitare atque adpetere simul velle aliquid dicitur: ita ut liberum consilium apud Aristotelem nihil est aliud quam adpetitus ad deliberationem accommodàtus: *ὄρεξις βουλευτική* (ib. III, 5 s. f.)[1]). Quae cum ita sint, vicissitudinis quadam ratione velle et agere inter se cohaerent: cuius rationis causa principalis est natura humana (ib. III, 7). Atque propter intumam hanc quae inter cogitandum et volendum et agendum intercedit rationem, neque sine animi conditione illa quae more ac consuetudine conparatur, moralis — ut ita dicam — libertas, nec illa sine hac cogitari potest. Inde hoc primum continet virtus moralis, quod ad principium movendi (*ἀρχὴν τῆς κινήσεως*) ducit et ad originem omnis honestatis, quae nostra sponte exoritur[2]). — Licet quidem propter naturae necessitatem non uni omnino nos causam sustineamus habituum (*ἕξεων*), quorum, ut ait Noster, — *συναίτιοί πως αὐτοί ἐσμεν* — non tam auctores quam adiutores ipsi simus: tamen qualescumque morati simus talem quoque finem proponimus rebus gerendis (*καὶ τῷ ποιοί τινες εἶναι τὸ τέλος τοιόνδε τιθέμεθα*) (ib. III, 7 extr. coll. 1112 *a* 1: *τῷ γὰρ προαιρεῖσθαι τἀγαθὰ ἢ τὰ κακὰ ποιοί τινές ἐσμεν*). — Denique quoniam virtus tamquam mensura valet in educatione morali, huic sine dubio pari esse ac primo momento debebit id, unde et illa *ἕξις προαιρετική*, h. e. habitus ad consilium capiundum deliberationemque spectans, nominatur[3]).

30. Deinde autem recte honesteque vivendi et agendi mensuram, quantum fieri possit[4]), plenam esse oportet, non exundare nec parum continere. Est hoc quidem alterum virtutis notioni attributum (Eth. N. II, 5 et 6). Nam Aristoteles (l. l. 1106 *b* 27): mediocritatem quandam esse virtutem, quae

---

[1]) Cf. § 24 coll. Rhet. I, 10. 1368 *a* 37 sqq.; de an. III, 11.
[2]) De motu an. c. 6.
[3]) Cf. § 26 (coll. Pol. l. l. 1332 *a* 30 sq.).
[4]) Eth. N. II, 5 extr.; 9. 1109 *b* 12 sqq.

ad medium ei propositum veluti telum collineet (*μεσότης τις .. ἡ ἀρετή, στοχαστική γε οὖσα τοῦ μέσου*). Non enim satis esse ad virtutem oculi conplendam, quod videre possit eiusque acies videndo exacuatur: oportere etiam eum bona uti conditione (*εὖ ἔχειν*), neque non satis longe conspectum ferre nec nimis procul (cf. ib. c. 5 in.). Est quidem aequalis cuiusdam notio (*τὸ ἴσον*), unde fieri debet, ut *μέσον τι* sit virtus, quae aequaliter inter abundantiam (*ὑπερβολήν*) et defectionem (*ἔλλειψιν*) medium teneat locum. — Hoc vero duplicem dicitur rationem habere: quantum quidem vel ad ipsam rem (*κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα*) vel ad nosmet (*πρὸς ἡμᾶς*) attineat, ex aequo inter duo extrema discrimine (ib. 1106*a* 26—*b* 8). Facile intellegi potest, quid haec sibi velit Nostri sententia: id quod educatores nec umquam nec usquam neglegere debent. Verbi gratia musicam et gymnasticam proposuerim, quarum disciplinarum hac ratione apud Aristotelem plurimum quantum traditum habemus[1]. — Utriusque enim disciplinae permultum interest medium quiddam et inveniri et teneri, idque quidem quantum tam ad ipsarum disciplinarum quam ad discipulorum attineat naturam. — Sed de his singulis rebus alio et suo loco uberius etiam disserendum est. — Itaque in omnibus rebus, ubi formam boni alicuius et pulcri efficere velis, hoc tibi ab auctore nostro commendatur et conprobatur, ut media et recta via utare: utrumque enim, et nimium et parum, perniciosum esse et malum, dum mediocritas (aurea illa, ut ait poeta)[2], augeat atque sustineat (cf. l. l. II, 2. 1104*a* 14 sqq.). Accedere quod hac ratione naturam sequamur magistram: quoniam natura quoque medium quiddam petere videatur. Huc quidem pertinet praeclarissimum illud Aristotelis, quod iam supra commemoravi (l. l. 1106*b* 13 sq.), quo spectare dixit et intueri boni artifices, qui bene operentur: omni autem arte limatiorem esse et meliorem virtutem: *ὥσπερ καὶ ἡ φύσις, τοῦ μέσου ἂν εἴη στοχαστική*[3]. — At esse illud *μέσον καὶ ἄριστον* non tam tale dicitur, quale universe ex arithmetica quadam proportione, quam quale ex unius cuiusque nostrum natura et conditione

---

[1]) Pol. V, 4 sq.

[2]) Horat., carm. II, 10.

[3]) Cf. §§ 6 et 11 coll. de vita c. 4 in.; part. an. I, 1. 639*b* 19; phys. II, 8.

sequitur opus (cf. Eth. N. l. l. 1106*a* 30 sqq. coll. c. 9: *διὸ καὶ ἔργον ἐστὶ σπουδαῖον εἶναι*). — Inde arduam fieri rem, neque unius cuiusque esse hominum inter huc et illuc, inter nimium et parum veluti Ulixes ille dea suadente inter Scyllam et Charybdim per scopulos et gurgitem — '*τούτου μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτός*' — navigium gubernare et *ἀνὴρ σπουδαῖος* ad amoena virtutis litora vela dirigere [1]) (ib. 1109*a* 29 sq.).

31. Nec vero nescit Aristoteles ex rei natura aliquid accedat necesse esse, quo tam clare quam vere perfectionis moralis (*ἐνεργείας*) mensura perspiciatur (Eth. N. VI, 1). — Idcirco tertio loco virtuti attributum est, quo quid rectum sit in his omnibus rebus definiri possit. Eo quidem verba tendunt, quae sunt *ὁρισμένῃ λόγῳ*, quorum potestate ad intellectum revocamur, unde a principio omnis et formae et notionis definitio quasi enascitur [2]). — Itaque animi quaedam conditio vel habitus quidam postulatur, isque, ut Aristotelis verbis utar, *διανοίας πρακτικῆς*, i. e. intellegentiae cogitationisque, quae ad agendum spectant, quo quae sit recta ratio (*τίς ἐστιν ὁ ὀρθὸς λόγος*) doceatur et quae huius sit definitio (*καὶ τούτου τίς ὅρος*. l. l. VI, 1 extr. 2 in.): nam tum demum, cum recte quis sciat quid velit et recte, h. e. recta via, velit id quod esse verum sciat vereque bonum cognoverit, fieri posse putat Noster, ut virtus eiusque finis qui sit — *τὸ καλόν* — efficiatur (ib. VI, 2; 10 extr.). Sunt enim ex sententia Aristoteles animi habitus ideoque etiam virtutes aliae morum, aliae intellegentiae et cogitationis (*τῆς διανοίας*) [3]). — Harum denique e numero, — *τῶν ἀρετῶν διανοητικῶν* — habitum, qui verus sit, cum ratione ad agendum accommodatum (*ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικήν*) accedere oportet, cuius vi et ope de viis ac rebus ad propositum apte ferentibus (*περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά*) deliberandum sit (l. l. 5. 1140*b* 4 sqq.): quapropter propria nuncupatur educatorum esse reique publicae rectorum gubernatorumque virtus (*ἐπιτακτική*), qua homines cum ad iubendum tum ad parendum dextri fiant atque idonei (ib. c. 11.

---

[1]) Cf. Hom. Odyss. M, 219 sqq.
[2]) Cf. Trendelenburg, ad Ar. de an. II, 1 (p. 323 sq.) coll. Met. V, 8.
[3]) Pol. IV, 14. 1333*a* 16 sq.

1143*a* 8: *ἡ μὲν γὰρ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστιν, τί γὰρ δεῖ πράττειν ἢ μή, τὸ τέλος αὐτῆς ἐστίν*) [1]. — Talis igitur est prudentia, illa (*φρόνησις*) quae ad generandam virtutem eo maioris sit momenti, quo magis etiam scientia et experientia valeant ad homines bene educandos (cf. l. l. 1142*a* 14—30). Ante omnia enim in experientia posita est huius virtutis vis, prudentiae, dicam, quae ad agendum pertinet, et agendo exercendoque — (*πλῆθος γὰρ χρόνου ποιεῖ τὴν ἐμπειρίαν*) — tempore crescit atque augescit. — Itaque in hac quoque parte gravissimum aliquid et maximi ponderis inesse vides, quod cum ad definitionem pertineat tum ad originem virtutis spectat, ita ut generale et singulare aliquid una demum absolvantur.

32. Ex his rebus breviter consideratis liquet non modo quam sint artissime inter se coniunctae intellegentia et consuetudo, cogitatio et actio (hoc enim iam antea a principio constitutum erat), sed etiam — id quod longe aliud est — quid accuratius momenti habeat id quod est *λόγος* (ratio) ad pertractandam eam quae nobis proposita est, quaestionem. Quaesitum est: quomodo vir fiat probus? *πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος;* Ad quae Aristoteles: *ἀγαθοί γε καὶ σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν. τὰ τρία δὲ ταῦτά ἐστι φύσις ἔθος λόγος* [2]). — Primum satis pro certo habemus nec longa opus erit disputatione, verbo quod est *λόγος* non solum rationem illam 'contemplativam' (*λόγον θεωρητικόν*) hoc loco significari — id quod suspicari licuerit verbo quod est *διδαχῇ* collato, — sed eam etiam quae ad agendum pertineat intellegentiam (*διανοίαν πρακτικήν*). Nimirum, cum ad morum virtutem tum ad literarum scientiam spectat institutio (Pol. l. l. 1332*b* 10) [3]). Et sicut ab uno primum proficiscitur sic unum utramque in partem persequi videtur: *τῷ νομοθέτῃ πραγματευτέον ὅπως ἄνδρες ἀγαθοὶ γίγνωνται* (ib. 1334*a* 14 sq.). Legislatori id curandum est, ut viri boni fiant. — Loco deinde quem respicimus Aristoteles notissimum illud, bipartitum esse intellectum humanum, iterum proponit, addens: quoniam eodem modo

---

[1]) Cf. de virt. et vit. c. 2 in.

[2]) Cf. § 9.

[3]) Cf. § 31 coll. Eth. N. X, 10. 1179*b* 20 sqq.; 1180*a* 14 sq.

etiam actiones necesse sit bipartito distributas esse et eas quidem eadem proportione inter se respondentes, fore, ait, ut quae melioris a natura (*φύσει*) partis sint actiones, eas quoque sint et praestantiores et magis expetendae: *ἀεὶ γὰρ ἑκάστῳ τοῦθ' αἱρετώτατον, οὗ τυχεῖν ἔστιν ἀκροτάτον* (ib. 1333 *a* 25). Et postquam otium et melioris partis et summum aliquid demonstravit esse, unde omnia vivendi agendique negotia fierent, disputationem porro persecutus, quaerit: utrum ratione an moribus prius sit educandum (*πότερον παιδευτέον τῷ λόγῳ πρότερον ἢ τοῖς ἔθεσιν* (ib. 1334 *b* 8). Non dissentit cum aliis (ac minime cum iis quae in Ethicorum libri decimi ultimo invenimus capitulo), id quod nostro loco respondetur. Ab adsuefaciundis pueris morum honestate omni educationi initium esse capiundum, postquam corpora apta cura et bene parata sint, ita ut adpetitus discat melioris partis i. e. rationis imperio parere [1]). — (Non inepte conferatur Rousseau haec: Plus le corps est foible, plus il commande, plus il est fort, plus il obéit [2]). Sed cum Nostro pergamus.) — Consensum vero fieri oportere intellegendi et consuescendi, doctrinarum et virtutum moralium, quo concinant inter se quam optumo concentu (*ταῦτα γὰρ δεῖ πρὸς ἄλληλα συμφωνεῖν συμφονίαν τὴν ἀρίστην*) [3]). — Fieri enim posse, ut vel ab honestissimo (quasi artificis) argumento et proposito (*ὑποθέσεως*) et aberrarit ratio et consuetudine et moribus similiter educatum sit. Hoc igitur primum esse adparere, quemadmodum in aliis rebus, ubi ortum (*γένεσις*) a principio sit et finis iterum ab aliquo principio alius finis: *ὁ δὲ λόγος ἡμῖν καὶ ὁ νοῦς τῆς φύσεως τέλος* [4]). — Atque hunc ad finem (*πρὸς τούτους*, scil. ad rationem et animi intellectum) ortum nostri et morum consuetudinisque meditationem instruere oportere (*παρασκευάζειν*) atque parare (l. l. *b* 8—28). Sic Aristoteles. — Perspicuum inde fieri videtur id quod iam supra adparuit, unum spectare philosophum nostrum, cum omnium rerum genitarum ex ordine aliam alius et melioris gratia fieri dicat, ita ut finis finem videatur

---

[1]) Cf. Eth. N. l. l.
[2]) Emile I, p. 43.
[3]) Cf. § 9.
[4]) Cf. § 8.

excipere. Nec nisi summum aliquid sibi vindicat et singulare, quod a principio expressum est, cum de humana institutione agatur et doctrina. — Hinc denique iam satis apertum erit, quid sit huius dissertationis tertiae parti, ad quam tractandam nunc transire debemus, propositum. Honestus ac probus is dicitur, cui bonum id est quod universe et absolute est bonum. Quo honestatis perveniri potest virtutis ratione et via. Expletur autem virtutis forma ex indole quadam cum exercitatione tum intellegentia. Quaerendum est, id quod ad docendi artem (*διδαχήν*) pertinet, qua tandem ratione et disciplina singulariter effici voluerit, ut ita gradatim ad perfectionem progrediamur. — Ad quam quaestionem expediundam si quid apud Nostrum invenitur, nullum aliud hoc fore facile concedes, nisi quod a principio (*λόγῳ*) simul ad agendi et cognoscendi valet rationem. Quod in iis quae sequuntur considerandum erit. —

PARS TERTIA.

De ratione educationis intellectualis.

33. Intellegentiae sunt doctrina ac disciplina, quae tertium efficiunt, quo vir bonus et honestus fieri potest[1]). — Est enim summum aliquid quo homo animantibus omnibus praestat, mens, dicam, et intellectus (*νοῦς, λόγος*)[2]), ea nimirum cogitandi facultas, qua excolenda is unus discere potest, qui exercitate agendo (*πράττων*) id quod rectum est (*ὀρθότην*) et cogitate contemplando (*θεωρῶν*) id quod verum est (*ἀλήθειαν*) animo concipiat (Pol. IV, 13. 1332*b* 3 sq.: *μόνον γὰρ ἔχει λόγον*)[3]). — Hoc demum respecto omnium rerum, quae et aliter (*τὰ ἐνδεχόμενα καὶ ἄλλως*) et quae non aliter (*τὰ ἐνδεχόμενα μὴ ἄλλως ἔχειν*) se habere possunt, communis est a principio ratio, quae utramque in partem, pro voluntate ad deliberandum (*λογιστικόν, βουλευτικόν*), pro cognitione ad sciendum (*ἐπιστημονικόν*) cum apta sit, itidem genere discernitur et nominatur[4]). — Ex hac igitur ratione est unum, quo (*λόγῳ*) et agendo volentes et contemplando scientes commovemur, — *τὸ διότι* — id quidem in quo causa consistit efficiens (*ὅθεν ἡ κίνησις*), essendi et cognoscendi, ut logici dicunt, principium (*ἀρχή*): hinc enim ad summam denique intellegentiam mens humana et proficisci

---

[1]) Cf. § 9.

[2]) Cf. §§ 2. 11.

[3]) Cf. de an. III, 4; Eth. N. VI, 2. 1139*a* 26 sqq.; 10. 1142*b* 7 sqq.

[4]) De an. l. l. (429*b* 23—29); Eth. N. l. l. 1139*a* 5—15.

debet et quantum maxime progredi. — Ad quas, ut ita dicam, principales sententias ex Nostri doctrina conprobandas hic primum satis erit, locorum nonnullos collatos infra attulisse. — Quamquam vero philosophi nostri doctrinam tractantes aliud alio potissimum (Aristotelem ex Aristotele, ut dicunt) explicare debemus: tamen verbi gratia etiam alium de hac re praecipientem continuo inducere licebit, et eum quidem suae aetatis praeceptorem clarissimum. Quodammodo enim explanari sic poterit quid sibi velit illud Aristotelis principium. Comenius (Did. Magn. I. p. 95 sq.) docendi 'fundamentum' praebet hoc: *omnia docere per causas* h. e. non solum quomodo unum quodque fiat, sed etiam *cur* aliter esse non possit ostendere. 'Scire quippe est: rem per causas cognoscere .. ergo in scholis: omnia doceantur per causas.' — Sed his interiectis ad Aristotelem revertamur, cui idem fere etiam in vita humana valere videtur. Quodsi primum quidem, ut (Eth. N. III, 5 in.) demonstratur, cogitatione humana id praesertim continetur, quod ad consilium capiundum attinet (*προαιρετόν*), non tam *φύσις*, non *ἀνάγκη* nec *τύχη*, quam intellectus (*νοῦς, καὶ πᾶν τὸ δι' ἀνθρώπου*, 1112*a* 31 sqq.) id adparet esse, quo voluntas commovetur (*ἀρχὴ γὰρ ὁ νοῦς*). Atque intellectus, quem hic sibi vindicat Noster, est ea (*διανοία πρακτική*) quae ad agendum spectat meditatio[2]) (Pol. IV, 15. 1334*b* 17 sq.). — Negat enim Aristoteles ipsum propositum, sed ea potius quibus adhibitis ad finem propositum perveniri possit (*τὰ πρὸς τὰ τέλη*) deliberationis ait esse, ad quam (*περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά*) illa valeat prudentia (*φρόνησις*) (Eth. N. l. l. 1112*b* 11—24; *b* 34)[3]). — Aliter res se habet, si 'contemplativam' istam cogitandi intellegendique facultatem (*νοῦν θεωρητικόν*) respicimus, quae non contenta eo, quod *τὸ ὅτι* (rem ita esse) animadverterit, — *ἐπισκέψασθαι τἀληθές*, — ut cum Aristotele loquar, causam efficientem cognitam habere studet

---

[1]) Met. I, 3 in. coll. Phys. II, 7. 198*a* 22—27; de gen. an. I, 1 in.; de p. an. I, 1. 641*a* 25 sqq.; 642*a* 1 sqq.; *a* 13 sqq.; gen. an. II, 6. 742*b* 29—35; Phys. II, 9 extr.; Eth. N. I, 2. 1095*b* 6; An. po. I, 2 in.

[2]) Cf. Eth. N. I, 13; de an. II, 3. 414*b* 18; III, 4. 429*a* 23; 433*a* 18 (coll. Trendelenburg a. l. l. p. 272; Brandis, Arist. III a. 105 sq.; II. 6. 104 sq.; Bonitz, Met. II. p. 24).

[3]) Cf. Eth. N. VI, 5.

(Eth. N. VI, 2. 1139 *a* 6)[1], cur aliter res fieri non possit. Et hoc quidem scientiae est (*ἐπιστήμης*), quae, ut ipsa virtus (*ἕξις — ἐπαινετή — ἀποδεικτική*) vocatur, est ea ex qua omnium virtutum summa nominari et e cuius cum mente coniunctione quasi enasci dicitur divina illa sapientia (*σοφία*) (Eth. N. VI, 3)[2]. — Regiones, ut ita dicam, diversae sunt: nam aliud est scienter contemplari, aliud honeste agere (Pol. l. l. 1333 *a* 25: *ὁ μὲν γὰρ πρακτικός ἐστι λόγος, ὁ δὲ θεωρητικός*). At nihilominus ad unam simul rationem redeunt, cum idem quod a principio quidem solum scientiae est, utrumque penetret atque — ut hoc continuo addam — efficiat, ut eodem modo in educatione et in institutione humana ad summam quam maxime perfectionem fiat progressus. — Sed, his positis, nonnulla quaedam praemittamus oportet. —

34. Finis, in quo principium et summum perfectionis ingenii humani consistit, est id quo verum necessario et universe conprehenditur et intellegitur: *διὸ καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος νοῦς* (Eth. N. VI, 12. 1143 *b* 9 sq.)[3]. — Quod enim primum Socrates ille ex alto animi et conscientiae ad lucem protulit, quod Plato deinde divino quodam impetu et ingenio quasi poetico inflammatus in splendore idearum unum 'pulcrum et bonum' esse atque altero illo (*θἀτέρου*) excelsum conspexerat: hoc, ut verum in rerum natura, mente severiore ac sobria Stagirites noster cepit, omni a principio intellegendo id proponens, ut essentiae rationem, rerum illam efficacem tamquam animo anteceptam informationem, — *τὸ τί ἦν εἶναι, οὗ ὁ λόγος ὁρισμός* — intentis oculis persequamur. (An. po. II, 13. 97 *a* 18 sq.: *φανερὸν γὰρ ὅτι ἂν οὕτω βαδίζων ἔλθῃ εἰς ταῦτα ὧν μηκέτι διαφορά, ἕξει τὸν λόγον τῆς οὐσίας*.) Namque, inquit, perspicuum est, si ita progrediens ad ea quorum nulla amplius differantia est pervenerit, eum substantiae habiturum esse rationem. Met. V, 8. 1017 *b* 21: *ἔτι τὸ τί ἦν εἶναι οὗ ὁ λόγος ὁρισμός, καὶ τοῦτο οὐσία λέγεται ἑκάστου*. Item 'quod quid erat esse' cuius ratio

---

[1]) De an. III, 10. 433 *a* 14 sqq.

[2]) Cf. Eth. N. I, 13 extr. (coll. Zeller, Phil. d. Gr. II, 2 p. 503 ed. 1862).

[3]) Cf. Met. VII, 11. 1036 *a* 28; c. 15 in.; An. pr. II, 21; An. po. II, 13. 97 *b* 26; I, 4. 73 *b* 26 sqq.; Eth. VI, 7 et 8 in.; de p. an. l. l.

definitio est, et hoc unius cuiusque rei dicitur substantia. Ib. IV, 2. 1004 *b* 16: *καὶ τοῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν τοῦ φιλοσόφου ἐπισκέψασθαι τἀληθές*. Atque haec sunt de quibus philosophi est verum investigare [1]). — Quippe, quod est intellegentiae nostrae et animi intellectus — *τῆς ψυχῆς νοῦ*, — *λέγω δε νοῦν ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή* (de an. l. l. 429 *a* 23). Intellectum dico quo ratiocinatur et adsumit anima. — Quorum illud (*διανοεῖν*) ad veri inveniundi viam spectat, qua inquiritur ac perpenditur, hoc (*ὑπολαμβάνειν*) ad inventi perceptionem et conprehensionem qua diiudicatur et conprobatur. — Quae Aristotelis huc attuli, aliud alio inter se et confirmari et explicari videntur. — Scientiae proprium est rerum causas cognoscere. Nam quidquid scire velis, id necesse est definire (*ὁρίζειν*) non nescias. Quod fieri non potest, nisi id unde res sit respexeris, rei causam, vel id quod natura esse prius dicitur. Quare Aristoteles (Top. I, 8) definitionem per genus et differentiam fieri iubet (*ἐπειδὴ ὁ ὁρισμὸς ἐκ γένους καὶ διαφόρων ἐστίν*), hoc tamquam universale, illud tamquam singulare aliquid, rei proprium. [Accuratius, ut scis, per genus proximum (*μὴ ὑπερβαίνειν τὰ γένη*) et 'differentiam specificam' (*διαφορὰν εἰδοποιόν*) definitio fieri dicitur. Ib. VI, 5 sq.] — Quae quidem cum una simul conveniant causa exoritur. Et hac denique ratione ad supremas causas, — ad ea quibus nulla sunt priora — perveniundum est. (An. post. I, 9. 76 *a* 19: *ἐκ τῶν προτέρων γὰρ οἶδεν, ὅταν ἐκ μὴ αἰτιατῶν εἰδῇ αἰτίων*.) Simpliciter enim ex prioribus scit, qui ex iis cognovit, quibus nulla priora sunt [2]). — Id igitur, quod Aristoteles scientia nobis notionisque cognitione intellegendum esse profert, inde est natura et re vera primum (*πρῶτον τῇ φύσει*) eique oppositum, quod nobis (*ἡμῖν* s. *πρὸς ἡμᾶς*), hominibus, proximum videtur esse et primum ad sensilem perceptionem (An. po. I, 2. 71 *b* 33: *οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον*). Quae denique inter se opposita vel extrema (*ἔσχατα*), tamquam primum aliquid et ultimum cognitionis cum in rerum naturae universitate, tum maxime pro natura humana ad

---

[1]) Cf. Trendelenburg, Arist. de an. p. 469.

[2]) Trendelenburg, El. log. § 68.

omnem et cogitationem et actionem dicuntur valere [1]. Utramque autem in partem hoc illustrari oportet, quo magis intellegi possit, quanti haec propria Aristotelis sententia ad propositum momenti sit atque ponderis.

35. Scientiae principium Aristoteles in intellectu positum esse sentit: *λέγω γὰρ νοῦν ἀρχὴν ἐπιστήμης.* Intellectum dico scientiae principium. (An. po. I, 33. 88*b* 36) [2]. — Res deinde quae sub scientiam cadunt (*τὸ ἐπιστητόν*) cum sint necessariae (*ἐξ ἀνάγκης*), tum omnes sunt omnino et absolute aeternae (*ἁπλῶς πάντα ἀΐδια*), ut ait Noster, quae neque oriri possint nec interire (*ἀγένητα καὶ ἄφθαρτα*): itaque cum omnis scientia doceri possit, res ei subiectas necesse esse discendo percipi posse (Eth. N. VI, 3. 1139*b* 22—*b* 26) [3]. — Discere autem accipimus motum quendam esse, eumque inperfectum, quoniam discere et didicisse una simul fieri nequeat (Met. VIII, 6. 1048*b* 18—36). — Qua re etiam *κίνησις* et *ἐνέργεια* inter se praecipue differre dicuntur [4]. — Homo discere potest [5]: potest enim ut a prima illa admiratione, ex qua omnem ad sciundum progressum initium capere vidimus, sic a sensuum perceptione per imaginem, memoriam, reminiscentiam ad experientiam (*ἐμπειρίαν*) pervenire, ut inde per unum praeter multa (*ἓν παρὰ τὰ πολλά*), tamquam omnium rerum eiusdem generis commune aliquid (An. po. I, 11 in.), ad scientiam (*ἐπιστήμην*) procedat [6]. — Omnis enim discendi finis est scire, et sciundi omnis causarum extremarum cognitio, unde quasi ex animi quadam reproductione cum omnia ac singula, tum aeterna ac vera quam maxime cognoscuntur et conprenduntur. (Met. IV, 2. 1005*a* 2: *φανερὸν οὖν (καὶ ἐκ τούτων) ὅτι μιᾶς ἐπιστήμης τὸ ὂν ᾗ ὂν θεωρῆσαι.*) [7] Est vero alia scientia (*ἐπιστήμη*), alia opinio (*δόξα*): potest haec, illa necessario debet esse vera (*ἀληθής*). Opinamur ex Nostri sententia,

---

[1]) Cf. § 13.
[2]) Eth. N. VI, 6.
[3]) Cf. An. po. l. l. (I, 33).
[4]) Cf. de an. II, 5. 417*a* 16; III, 7. 431*a* 6.
[5]) Cf. § 17.
[6]) Cf. An. po. II, 19; Met. I, 1.
[7]) Cf. Ib. 3. 1005*b* 10.

rem etiam aliter se habere posse exsistimantes, scimus, cum nobis persuasum sit, rem non aliter se habere posse (An. po. l. l. 89*a* 2 sqq.): *οὐδεὶς οἴεται δοξάζειν, ὅταν οἴηται ἀδύνατον ἄλλως ἔχειν.* Nemo enim se opinari exsistimat, ubi non aliter rem se habere posse exsistimat. — Utrumque — [id quod alias quidem, etsi non omnino (*οὐ πάντως*), attamen quodam modo facile intellegitur fieri posse] — de eodem simul (*ἅμα τὸ αὐτό*) in una eademque re fieri posse negatur: ita enim re concepta alterum altero excludi necesse esse, sicut verum et falsum (*ὥσπερ καὶ ψευδὴς καὶ ἀληθὴς τοῦ αὐτοῦ τρόπον τινά, οὕτω καὶ ἐπιστήμη καὶ δόξα τοῦ αὐτοῦ.* l. l. *a* 23 sqq. coll. *a* 38 . . *ὅτι οὐδὲ δοξάζειν ἅμα τὸ αὐτὸ καὶ ἐπίστασθαι ἐνδέχεται*)[1]. — Itaque reapse consequitur id quod Aristoteles hoc *τὸ ἐνδεχόμενον καὶ ἄλλως* . . (*φαινόμενον*) ei quod est *πρὸς ἡμᾶς* pari quadam ratione respondere docet atque illud *τὸ ἐνδεχόμενον οὐκ ἄλλως* (*ἁπλῶς*) ei quod est *φύσει πρῶτον.* (An. po. I, 2 coll. c. 33 l. l.) Nimirum, ut verbis utar Aristotelis, (Met. II, 1. 993*b* 9 sq.) *ὥσπερ γὰρ καὶ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ᾽ ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων*[2]). — Quem ad modum vespertilionum oculi ad lucem se habent diei, ita et intellectus animae nostrae ad ea quae manifestissima sunt omnium. Res sua natura (*φύσει*) satis clarae: nos autem a natura ita generati sumus et sensibus percipere tam consueti, ut rerum naturam explicate conprendere vix posse videamur mentisque nostrae acies clariore veritatis splendore quasi praestringatur[3]). Quod vero ad intellegendum valet vere aut false opinari tantum vel idem potius ad agendum bene aut male moratum esse: fieri enim non nequit, ut rectae rationi (*τῷ ὀρθῷ λόγῳ*) adversantes non feriamus destinatum illud (*τὸν σκοπόν*) quod velut certo ictu adsequi prudentia dictum est doceri et rectum effici virtute: ex quibus duabus opus absolvi possit (Eth. N. VI, 13. 1144*a* 6: *τὸ ἔργον ἀποτελεῖται κατὰ τὴν φρόνησιν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν*)[4]). — Hinc igitur etiam alteram in partem res intuenda videtur. —

---

[1]) Cf. Schol. Io. Phil. 73*b* ed. Brandis. p. 239*b* 12.

[2]) Cf. de an. II, 12 in.

[3]) Cf. Alex. Aphrodis. a. l. l. coll. Phys. I, 1.

[4]) Cf. l. l. 10. 1142*b* 6 sqq.

36. Virtutes, scilicet morales, doceri possunt (Pol. IV, 13 extr.)[1]): non ideo quod omnes, ut Socrates quidem putavit, ipsae scientiae sunt (*ἐπιστήμας* .. *εἶναι πάσας*), sed eo potius quod ex Nostri sententia, quamvis sint exercendae (*καίτοι* .. *ἃ δεῖ καὶ ὅσα χρὴ τὸν σπουδαῖον*), non sine scientia exsistunt, sine eius, nimirum, quod est bonum, scientia: *οὐ γὰρ μόνον ἡ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ἀλλ' ἡ μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἕξις ἀρετή ἐστιν* (Eth. N. l. l. *a* 18 sq.; *b* 17 sq.; *b* 26 sq.). Non enim modo secundum rectam rationem sed cum recta ratione, — quippe cui recta iam insit — habitus est virtus[2]). Est enim, ut virtus non gigni possit nisi accedit prudentia (*οὐκ ἄνευ φρονήσεως*), tamquam animi ille oculus (*τῆς ψυχῆς ὄμμα*), qui lucem ab intellectu habet. — Iuvat Aristotelem, ut videtur, hac imagine uti. — Ubi virtus, qualis pueris vel etiam bestiis a natura tribuenda sit, quodammodo dicitur esse naturalis (*ἡ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κυρίαν* .. *ὑπάρχειν φύσει πως*): haec, quae sit *ἄνευ φρονήσεως ἀρετή*, sine prudentia virtus, gravis vel potius robusti corporis naturae (*σώματι ἰσχυρῷ*) conparatur, quod quasi visu carens (*ἄνευ ὄψεως*) non minus graviter offendere possit (cf. l. l. *b* 8—17)[3]). Quod cum ita sit, pueri oportere, velut caeci ductoribus, grandioribus natuque maioribus se ducendos dedant, iis quidem qui et magis experti sunt et, ut alio loco dicitur, — *διὰ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα* — recte perspiciunt (*ὀρθῶς ὁρῶσιν* l. l. c. 12). Inde etiam adparet, quod 'animi oculo' habitum illum non ingenerari dicit — *οὐκ ἄνευ ἀρετῆς* — sine virtute (ib. *a* 29). Philosophum nostrum ut recte intellegas, circulum qui exsistere videtur exsolvas necesse est. Sane, sufficit exercitatio et consuetudo, ubi inscia natura reliqua praestat, ubi a natura modo itum et visum agitur: at ubiubi haud inscio ipso *λόγος* (ratio) accedit, ubi et cognitio et actio, et virtus et scientia in pretio sunt, fieri non potest, ut 'animi oculo' ea facultas gignatur, qua bene videamus (*εὖ ὁρῶμεν*), (cf. Eth. N. II, 5. 1106*a* 17 sq.) nisi intellegentia et mos, doctrina et consuetudo omni in gradu perfectionis, atque prudentia maxime et reli-

---

[1]) Cf. Eth. N. I, 9. 1099*b* 15; II, 1. 1103*a* 32.

[2]) Cf. Eustratius a. l. l.

[3]) Cf. § 12 extr. (Horat. carm. III 4, 65.)

quae quae sunt virtutes (*ἄλλαι ἀρεταί*) in vicem quodammodo alia aliam coadiuvant (*συνεργοῦσί πως μετ' ἀλλήλων*), ut dicitur, coalescentesque alia aliam comitantur (cf. M. Mor. II, 3. 1200*a* 3)[1]. — Quodsi hoc loco conprobatur id quod docemur, sicut scientiam scientia quadam[2]), sic virtutem virtute tamquam conditione uti oportere et conditore, natu minorum virtutes maiorum experientia et prudentia: patebit non modo Aristotelis (Eth. N. VI, 13): *ὅτι οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς*, — quod non nisi homini bono bonum (scil. finis) adparet, quoniam pravitas pervertit efficitque, ut de agendi principiis fallamur et falso iudicemus (ib. *a* 34), — verum etiam quod summa quaedam sententia quae ad animae humanae doctrinam spectat in eo posita est, quod ad *γένεσιν* attinet, ad generationem virtutum, (*καθ' ἃς δὲ ἁπλῶς λέγεται ἀγαθός* ib. 1144*b* 35 sq.), unde vir absolute bonus nominatur. Pro eo enim quod intellegentia et honestas nullo modo dirimi queunt ab auctore nostro eo videmur revocari, ubi cogitatio et cupiditas altera alteri quasi obviam fit, nimirum, ad rectam consilii libertatem (*προαίρεσιν ὀρθήν*), quae non sine prudentia esse nec sine virtute habetur (ib. 1145*a* 4). Vides quo tendat disputatio. Est enim, ut huc iterum opinari et scire, velut esse et videri, *τὸ ἡμῖν ἀγαθόν* et *ἁπλῶς ἀγαθόν*, caetera[3]) quae repeti non opus erit, tamquam opposita inter se accedant, quae inter se quasi conpensari virtutisque generandae gratia conciliari debent, quippe unde institutio et disciplina et habeant exitum et pulcerrimo concentu procedere possint (cf. Eth. N. II, 3. 1105*a* 30 sqq.). At liquidius fiet quid haec sibi velint, si perpauca iterum Nostro duce perspexerimus. —

37. Iterum quidem ad id perveniri oportebat, cuius ratione philosophus noster nimium laudari fere non poterit: rationem dico, qua *προαίρεσις* apud Aristotelem consideratur, consilium, in quo humanae voluntatis libertatem consistere docuit. — Attamen non eo modo, quo idem Ethicorum libro tertio hanc

---

[1]) Cf. Trendelenburg, Hist. Beitr. II. p. 385 sq. (coll. § 26 extr.).
[2]) Cf. Anal. po. II, 1 in. coll. Eth. N. VI, 3. 1139*b* 26.
[3]) Cf. § 26.

rem persecutus est, unde virtus tamquam ἕξις προαιρετική definitur (ib. II, 6 in. coll. III, 4 sq.), sed ita tantum, ut quantum illud quod est ἐφ' ἡμῖν attineat, rem hoc loco considerandam esse putaverim: cum inde ex eo quod est ἐφ' ἡμῖν Nostri sententia (Eth. N. III, 6 extr.; 7. 1113*b* 14) omni institutioni exeundum sit, ita quidem, ut ab eo quod etiam aliter se habere potest ad id procedat, quod a principio pro necessitate rationis et re vera non aliter se habere potest[1]). — Nam etiam agendo Aristoteles ratiocinationem quandam fieri censebat, cuius conclusio in ipso actu consulto consisteret, sicut intellegendo in eo quod verum esse cognitum haberemus[2]) (l. l. VI, 13. 1144*a* 31): *οἱ γὰρ συλλογισμοὶ τῶν πρακτῶν ἀρχὴν ἔχοντές εἰσιν, ἐπειδὴ τοιόνδε τὸ τέλος καὶ τὸ ἄριστον ὁτιδήποτε ὄν.* — Contemplationi enim cupiditatique veri inveniundi respondet actio (*ἐνέργεια*), quae remissiore vel intentiore animo *τὸν σκοπόν* petit, quem ratio posuit (de motu an. c. 7 in: *ἐκεῖ μὲν θεώρημα τὸ τέλος .. ἐνταῦθα δ' ἐκ τῶν δύο προτάσεων τὸ συμπέρασμα γίνεται ἡ πρᾶξις*). Atque ad hanc rationem Aristotelis Ethic. libro sexto traditum habemus id quod huc vel maxime referri potest (c. 2. 1139*a* 21 sqq.). Est hoc, inquit, quodquod in cogitatione et intellegentia adfirmatio et negatio, in rei alicuius adpetitu consecutio et fuga: ergo, quoniam virtus habitus est ad consilium vergens (*ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική*), consilium autem (*προαίρεσις*) adpetitus ad deliberationem adcommodatus (*ὄρεξις βουλευτική*), sequitur, ut et rationem oporteat veram esse et adpetitum rectum, — si quidem consilium honestum esse virtutique studere volumus (*εἴπερ ἡ προαίρεσις σπουδαία*), — eademque et illam adfirmare et hunc persequi. Quibus propositis pergens (ib. *a* 26—35): hanc, dicit, eam esse quae ad agendum valeat intellegentiam ac veritatem: cum praestantia et vitium (*τὸ εὖ καὶ κακῶς*) eius, quae ad contemplandum modo valeat (*τῆς δὲ θεωρητικῆς διανοίας καὶ μὴ πρακτικῆς μηδὲ ποιητικῆς*) verum sit et falsum (*τἀληθὲς καὶ ψεῦδος*). Et hoc quidem — *παντὸς διανοητικοῦ* — omnis omnino cogitandi facultatis opus esse et munus (*ἔργον*): cum illius praesertim (animi

---

[1]) Cf. § 12 s. f. et 33.

[2]) Cf. Eth. N. III, 5. 1112*b* 21 sqq.; VI, 12. 1143*b* 1 sqq.; 13, 1144*a* 31.

facultatis), quae ad agendum valeat et ad intellegendum veritas sit, congruens et conspirans (ὁμολόγως ἔχουσα) cum adpetitu recto. — Itaque agendi principium esse consilium, — ὅθεν ἡ κίνησις, ἀλλ' οὐχ οὗ ἕνεκα, — consilii autem adpetitum et rationem (λόγος ὁ ἕνεκά τινος): quam ob rem non sine intellectu intellegentiaque nec sine conditione illa vel habitu morali voluntatis esse consilium, nimirum, quod constare non possit neque bona perfectaque actio (εὐπραξία), nec quae ei contraria sit (τὸ ἐναντίον ἐν πράξει) sine intellegentia et moribus (ἄνευ διανοίας καὶ ἤθους οὐκ ἔστιν). — Satis est: adparet quid sibi voluerit Aristoteles. Atque hinc omnia plana fiunt. Conferamus etiam quod iam antea de hac re disputandum erat[1]), id quidem quod ex Nostri de anima libello repetitum est (III, 10) cum eo quod Polit. (IV, 13), loco saepius laudato, traditum est (πολλὰ γὰρ παρὰ τοὺς ἐθισμοὺς καὶ τὴν φύσιν πράττουσι διὰ τὸν λόγον, ἐὰν πεισθῶσιν ἄλλως ἔχειν βέλτιον): undique summa pax est et concordia. — Velle dicitur is qui cum ratione adpetit: voluntati nostrae quasi omnis inest humanae naturae vis et potestas. In qua tantum consistit libertatis, quantum honestatis, neque minus veri quam rationis ex qua finis proponitur. Nam in libero consilio principium dicitur inesse causa, unde motus proficiscitur, tamquam actionis effectrix: ἕνεκα γάρ του ποιεῖ πᾶς ὁ ποιῶν. Nam alicuius rei causa id efficit quisquis aliquid efficit. Et huius rei cognitio scientiae est et intellegentiae, quapropter doctrina adhibenda est atque disciplina. Sola quidem natura solaque consuetudine Nostri sententia neque bonus fit nec honestus, neque prudens nec sapiens homo. Sit igitur, ut ait Aristoteles, aut ὀρεκτικὸς νοῦς aut ὄρεξις διανοητική libera voluntas: institutio, quae totum hominem erudire atque adeo extollere debet, ut id quod absolute bonum et verum est ipse sibi velit, hoc sibi primum et ultimum habeat necesse est, cur tale principium fertur homo (ἡ τοιαύτη ἀρχὴ ἄνθρωπος), qui eo fiat perfectior, quo magis rectum verumque in animo sit, ὀρθότης in adpetitu et ἀλήθεια in cogitatione (cf. l. l. 1139*b* 3 sqq.). Non possum quin recentioris aetatis philosophi commemorem hoc, quod fere ad idem spectat: 'Ubi

[1]) Cf. § 25.

nil vales', inquit, 'ibi nil velis', in quo uno monito totius Ethicae verti dicit cardinem[1]). — At valet homo, ut docet Aristoteles, et ad bene agendum et ad recte intellegendum: et quantum quisque pro sua parte valeat, tantum velle debebit: volenti denique educatio suppeditet necesse est et institutio, qua etiam atque etiam ad perfectionem propius accedat[2]). — Quod vero qua ratione faciundum sit Aristotelis ex animo nunc dicendum est.

38. Metaphysicis, libro sexto (4. 1029*b* 3—12) de substantia (*οὐσία*) agitur, qua quidem ratione *τὸ τί ἦν εἶναι* sit, — 'id quod erat esse' — ad quam rem considerandam prodesse dicitur (*πρὸ ἔργου*), ad id quod notius sit (*εἰς τὸ γνωριμώτερον*) procedere[3]). — Ita enim, inquit Aristoteles, disciplina fit omnibus (*ἡ γὰρ μάθησις οὕτω γίνεται πᾶσι*) — procedendo — per minus nota natura (*φύσει*) ad magis nota; et in hoc quidem opus consistit (*καὶ τοῦτο ἔργον ἐστίν*), utut in actionibus ex eis quae cuique sunt bona (*ἑκάστῳ*) faciundum est, ea quae universe (*ὅλως*) sunt bona ut sint cuique bona: ita ex rebus sibi ipsi (*αὐτῷ*) notioribus, ea quae sunt natura nota sibi ipsi ut sint nota. — Sunt vero singulis quibusque nota ac prima (*πρῶτα* sc. *ἡμῖν*) saepenumero parum nota et paullum aliquid (*μικρόν*) vel nihilum eius quod re vera esse dicitur (*τοῦ ὄντος*) continentia. At nihilominus conandum est, ex eis quae male quidem (*φαύλως*) cognoscuntur, a se ipso tamen cognoscuntur, ea quae universe sunt cognoscenda (*τὰ ὅλως γνωστά*) cognoscere, procedendo, ut dictum est, per illa ipsa (*διὰ τούτων αὐτῶν*). — Sic Noster. Ex omnibus autem adhuc disputatis haud difficile erit loci sententiam intellegere. Adhibenda ratione quae interest inter illud quod est natura primum (*φύσει πρῶτον*) et primum generatione (*πρῶτον γενέσει, πρὸς ἡμᾶς*) disciplinae simul rationem habemus et viam, quae omni institutioni ingrediunda sit[4]). Quippe cum primum id quod sub sensus cadit ab omni humana

---

[1]) Geulinx, Eth. tract. I, admon. 28.
[2]) Cf. §§ 26 sq.; 33.
[3]) Cf. Trendelenburg, comm. ad Ar. de an. II, 2 p. 337 sqq.
[4]) Cf. § 29.

cognitione et adpetitione propius vel proximum eoque sit et cognitu facilius et adpetitu magis iucundum. — Sane homo eruditus, et is quidem qui σπουδαῖος est, id tantum sibi quaerit quod absolute est et bonum et verum[1]. — At eruditio inde ab eo quod hominis vel etiam rudis est initium capit, tamquam a materie, quae quodam modo sit aut experientia conparata aut animi conscientia (ἄμεσον) proposita necesse est, nam (An. po. in.): πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προυπαρχούσης γίνεται γνώσεως[2]. Doctrina et disciplina ut exsistere possint alia, unde efficiantur et cognitio ducatur, tamquam materies et causa antecedat necesse est. — Sed ut locum ante translatum teneamus et primum quidem quantum ad intellegendum pertineat: duo praecipue videmus significari, dico, et discendi viam et cognoscendi rationem. — Ad illud quod attinet aut adscendendo a rebus singularibus ad generalia progredimur (analysis) aut retro a generalibus ad singularia (synthesis) per genera, species, ad unum aliquid regredimur: quam ad duplicem viam quantum quoque duplex illa probandi demonstrandique forma valeat, cum hic per deductionem (συλλογισμόν) discamus doceamusque, illic per inductionem (ἐπαγωγήν), nec nemo non ignorat nec nostrum est accuratius hoc loco disputare[3]. — Ad hoc attinet quod utriusque primum aliquid est et cognitum: aliud vero primum est quod universe ex rerum notione conprenditur, ubi demum quasi ex summo scientiae fastigio rerum natura atque origo cognoscitur, id quod nimirum quam longissime ab oculis videtur vel a nobis remotum esse: aliud, ubi singula quaedam sensuum perceptione animadvertimus, quae propiora a nobis vel proxima sunt. Hinc Aristotelis haec (An. po. I, 2. 71*b* 34 sq.): πρότερα δ' ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς· οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον, οὐδὲ γνωριμώτερον καὶ ἡμῖν γνωριμώτερον· quae duo priora et notiora ita porro explicantur: λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτερον· ἔστι δὲ πορρωτάτω μὲν τὰ καθόλου μάλιστα,

---

[1]) Cf. § 26.

[2]) Cf. § 34 coll. Eth. N. VI, 3. 1189*b* 26; Met. I, 9 s. f.

[3]) Cf. An. pr. II, 23. 68*b* 30—37; An. po. I, 1 coll. Trendelenburg, El. log. § 39.

ἐγγυτάτω δὲ καθ' ἕκαστα· καὶ ἀντίκειται ταῦτ' ἀλλήλοις. — Itaque remotissima sunt universalia, proxima autem singularia, quae inter se opponuntur. Iam intra haec inter se opposita disciplina omnis versatur. Profecto, puerili animo — ut hoc primum exponam — ea maxime respondebit discendi via et ratio cognoscendi, quae experientia duce (inductione) fit, inde ab eo quod sub oculis versari et nobis prius dicitur ac propius esse. — Repetimus (Rhet. III, 10. 1410*b* 10): facile discere omnibus natura iucundum est. Et praeceptores et educatores, quibus id agere opus est, ut pueros discipulosque — *ἐκ τῶν φαύλως μὲν γνωστῶν, αὐτοῖς δὲ γνωστῶν, τὰ ὅλως γνωστὰ γνῶναι* — eruditos, propria verbi sententia, efficiant, etiam in hac re medicis non dissimiles sunt, qui sanos faciunt homines ex sano aliquo quod corporibus iam inest. Quorum non tam interesse debebit ut multa dent quam multum boni et recti quod prodest nec, ut Nostri verbis utar, *μικρὸν ἢ οὐθὲν ἔχει τοῦ ὄντος*[1]. — Nonne est fere idem quod optumus ille nostrae aetatis praeceptor nobis persuasum esse voluit: 'dass die Anschauung das absolute Fundament aller Erkenntniss sei, mit anderen Worten, dass jede Erkenntniss von der Anschauung ausgehen und auf sie müsse zurückgeführt werden können' (Pestalozzi, Wie Gertrud, p. 282). — At licebit iam nunc etiam alia Aristotelis conferre, ex quibus quid singula valeant clarius fortasse elucebit. — Res omnino plana est, et planior, spero, etiam utramque fiet in partem quam Noster significavit. Namque de bono (*ἀγαθά*) etiam, nec solum de vero agitur. Cogites Socratem Xenophontis, tamquam exemplum. Laudatur Eth. Nic. (I, 2) Platonis illud: *ἀπὸ τῶν ἀρχῶν ἢ ἐπὶ τὰς ἀρχάς*, a principiis ad principiata, ut logici loquuntur, an retro, utrum via faciunda sit. Tum, exeundum esse ab iis rebus quae notae sint (*ἀρκτέον . . ἀπὸ τῶν γνωρίμων*), haec vero duobus dici modis (*διττῶς*): *τὰ μὲν γὰρ ἡμῖν, τὰ δὲ ἁπλῶς*. Respondet quod hic *ἁπλῶς*, ei quod supra (Met. VI, 4) *ὅλως* dicitur. Idem huius modi etiam aliis locis et persaepe invenitur, quorum ex numero cum illa ex Anal. poster. supra laudata, tum definitionem eius quid sit *σπουδαῖος* commemorare velim[2]. —

---

[1]) Cf. Kant, Zur Anthropol. VIII. ed. Rosenkr. VII, 2. p. 112.
[2]) Cf. § 27.

Haud scio an res ita se habeat. Id quod saepe et plerumque (ὅλως) valet, per inductionem quandam tamquam absolute et omnino valere concipitur: itaque, notione etiam magis dilatata, cum ei opponitur quod est τόδε τι, tum pro eo usurpatur quod generaliter (καθόλου) valere dicitur[1]). — Sed iuvabit hinc ex altera quoque parte rem illustrare.

39. Hinc enim quo magis adparet, quid sit honestum esse eo clarius etiam patebit, qua ratione et via honestum fieri possit. — Denuo cum Aristotele dicendum est (Pol. IV, 13. 1332*a* 22): ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ὁ σπουδαῖος, ᾧ διὰ τὴν ἀρετὴν ἀγαθά ἐστι τὰ ἁπλῶς ἀγαθά. Talem esse hominem probum, cui per virtutem bona sint ea quae universe ac simpliciter sunt bona. Verbis quae sunt διὰ τὴν ἀρετήν haec Metaph. (VI, 4. 1029*b* 12) διὰ τούτων αὐτῶν videntur respondere. — Quid hoc sibi velit facile intellegitur. Quantum virtus quae ex sola facultate (δυνάμει), — vi consuetudinis adhibita, — habitus facta est (ἕξις), quantum, dico, illa porrigat ad hominem bene moratum magis magisque perficiundum: tantum videtur ad scientiam humanam excolendam et amplificandam id conferre, quod ex eis quae parum antea vel male cognita erant animo deinde penitus inculcatum et cognitum habemus (ὅλως γνώριμα), tamquam re vera mentis proprium. — Honestate gradatim adsuefaciundus est homo, ita, ut id quod et bonum sibi et rectum habeat tale sit quod per se atque universe bonum et rectum sit ac tale quo voluptate adfici deceat. Quo perveniri poterit, nimirum, pari modo ac cognoscendo ad veritatem. Hanc natura nobis insitam esse viam (Phys. I, 1 in.) πέφυκε δὲ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς καὶ σαφεστέρων ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα· οὐ γὰρ ταὐτὰ ἡμῖν τε γνώριμα καὶ ἁπλῶς. — Itaque ex eis quae natura quidem (τῇ φύσει) minus sunt manifesta, nobis autem magis manifesta, ad ea procedamus necesse erit, quae natura magis manifesta et notiora sunt. — Primum enim, ut hoc loco traditur, totum aliquid nos adsciscere, utut sensibus simul occurrat

---

[1]) Cf. Top. I, 12 (coll. Trendelenburg, el. log. p. 104); An. po. I, 4. 73*b* 26 sq. (coll. Trendelenburg, l. l. p. 120; Bonitz ad Met. 1049*b* 23 [p. 400] et Met. VII, 8. 1033*b* 26).

(*ὅλον κατὰ τὴν αἴσθησιν*), cum notis, rei naturae vel necessariis vel non necessariis, confuse et permixte. — Inde cognitionis esse, veram rei naturam et partes eius et singulas notas (*τὰ καθ' ἕκαστα*) clare et distincte discernere, tamquam constituens aliquid ab accidentibus. Nec vero repugnat superiori loco (An. po. I, 2), quod hic universale aliquid esse dicitur [1]. — Agi docemur illic de ratione cognoscenda, hic ex indefinitis ac rebus commistis (*τὰ συγκεχυμένα*) ideoque ex universo quodam singula, rerum elementa et principia (*τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς ἀρχάς*), enucleare [2]. — Quod notione primum, ultimum est nobis animo cognoscentibus. — Non enim ita, ut punctum, tum lineam, tum planum, tum solidum conprendamus, sed retro (*ἀνάπαλιν*), diverso quidem ex ordine, ex rebus oculis subiectis ad causam efficientem hominum fit conprendendi et discendi et cognoscendi ingressus (Top. VI, 4. 141*b* 5—14 coll. de an. II, 2 in.: *ἐκ τῶν ἀσαφῶν μὲν φανερωτέρων δὲ γίνεται τὸ σαφὲς καὶ κατὰ τὸν λόγον γνωριμώτερον*). Res perspicua videtur. Colligens seque attollens ex multis et singularibus rebus ad totum et universum aliquid omnia conplectens mens humana pro sua natura facultatem sibi conparat ac vim, ut plene et quam maxime instructa ex summa quaque scientia utrumque, et universa et singula, perspiciat [3]. — Quodsi intellegentia ita, continenter et gradatim, procedit et rursus per genera et species ultima usque verum discrimina (*τελευταίας διαφοράς*) depromit ac deprendit: principium esse ex Aristotelis sententia non dubium est rationis cognoscendi (*ἀρχήν, ὅθεν ἡ κίνησις*), qua causa etsi remota antea et ignota, discentibus proxima reddi, ut sic loquar, et cognita, h. e. scientia, effici possit. — Nec temere ad illud *ἐπὶ τὸ πέρας ἢ ἀνάπαλιν*, — in quo docendi analyticam et syntheticam rationem consistere intellegimus, — studium mentis humanae, cum discendi cupiditate commota huc et illuc, rursum prorsum agatur, cum isto athletarum cursorumque in stadio agonistico more conparatur (Eth. N. I, 2. 1095*a* 32 sqq.). — Atque studiis nonnisi honori est summoque pretio victoriae reportatae fructus [4]. —

---

[1]) Cf. § 38.

[2]) Cf. Trendelenburg, a. Ar. de an. p. 339.

[3]) Cf. An. po. I, 28 in. coll. Trendelenburg, Hist. Beitr. I, p. 149 sqq.

[4]) Cf. § 38 s. f.

Iterum hoc loco loquentem inducere nobis licitum sit, praeclarum illum nostrae aetatis praeceptorem, qui, ut videtur, veluti Aristotelis ex animo haece facit verba: 'Freund', — inquit — 'wenn ich zurücksehe und mich frage: was habe ich denn eigentlich für das Wesen des menschlichen Unterrichts geleistet? so finde ich: ich habe den höchsten, obersten Grundsatz des Unterrichts in der Anerkennung der Anschauung, als dem absoluten Fundament aller Erkenntniss festgesetzt und mit Beseitigung aller einzelnen Lehren, das Wesen der Lehre selbst und die Urform aufzufinden gesucht, durch welche die Ausbildung unsers Geschlechts durch die Natur selbst bestimmt werden muss'[1]). — Nostra aetate haec, ut ita dicam, intuendi evidentia, cum a philosophis tum ab educatoribus multum laudari solet, tamquam omnis discendi et cognoscendi principium. Neque omnino iniuria, ut videtur. Quantum vero apud Aristotelem haud dissimile aliquid valuerit, satis ostendimus, qui idem nihil antiquius duxit, quam ut res nobis ex intellegendi quadam obscuritate vere perspicuae et dilucidae fierent, unde cognitio magis usque procedere et *scientia* efficere posset[2]). Sic ex nostra quadam ac prima quamvis confusa et minus clara animi cognitione aut perceptione ad dilucidam intellegendi perspicuitatem progredi iubemur. — Sed Nostro auctore intellegendi perspicuitas nulla exoriri poterit, nisi ratio accesserit, qua causa, unde res sit (*ἡ αἰτία, δι' ἥν τὸ πρᾶγμά ἐστιν*) nec aliter se habere possit, cognoscitur (An. po. I, 2 in.)[3]): quod si omittitur, nihil aut bonum aut verum perspicuum fieri nec ab aliis rebus eisque contrariis accurate discerni potest. Haud igitur paullum aliquid quaesivit Aristoteles, cum omnem non modo intellegendi, verum etiam agendi virtutem omnemque omnino honestatis formam inde ex eo enasci et effici voluerit, ubi cogitandi vis cupiditates et imaginationes occupare debet. — Mens humana concipiat, conformet, in optumum vivendi usum convertat necesse est, quodcumque ex sensuum perceptione, videndo, audiundo, effingendo denique animo inpressum et penitus in nobis reconditum viget.

---

[1]) Pestalozzi, Wie Gertrud c. op. V p. 194.
[2]) Cf. de an. II, 2 in.
[3]) Cf. § 33.

Rerum naturam animo perspicere iubemur. Sic 'per causas' discimus: cognoscendi ratione pervenientes cum ad veritatem, tum ad intellegendi perspicuitatem et ad intuendi evidentiam. — Sed, unde huc digressi sumus, ad studiorum fructum revertamur.

40. De calce cum Aristotele supra disputandum erat, ad quam omnibus inpedimentis expeditis aut adcursus fieri aut decursus videretur. — Quaestio subest, quae etsi significari, adhuc tamen tractari non potuit: quaeritur enim quidnam sit, quo educatores praeceptoresque rerum gerendarum bene ac prospere procedentium voluptate adficiantur, ita quidem, ut conscii sibi sint, quanti omni tempore omnique perfectionis in gradu discipulorum proprium factum sit id quod omnino proprium iis fieri deceat? Quid quidem sit, ut brevi dicam, apte progrediundi indicium? [1]) — Sane ad ea quodammodo quae iam ante dicta sunt redit disputatio, et dices ut est in proverbio hoc: 'exercitatio artem parat', — et opus opificem laudabit [2]). — Nam sicut docere posse scientis omnino indicium (*σημεῖον τοῦ εἰδότος*) dicitur esse (Met. I, 1. 981*b* 7): sic discipuli vere discentis, cum doctrinam quasi agendo praestare possit. Inde Aristoteles (Met. IX, 8. 1050*a* 15 sqq.): *τὸ γὰρ ἔργον τέλος, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἔργον.* — At enim homo Pausonis persimilis est illi Mercurio, in quo non patuit — *εἰ ἔσω ἢ ἔξω ἡ ἐπιστήμη* — utrum intra an extra sit deus [3]). — Quam ob rem haud parvi momenti est, quod Noster l. l. docuit: docentes institutoresque tum propositum absolvisse putare (*τὸ τέλος ἀποδεδωκέναι*), ubi discentem ostendere possint operantem (*ἐνεργοῦντα*). Qua una in re philosophus noster quasi totus inesse poterit videri. Qui quidem non tam agendi facultatem quam ipsam actionem et eam ipsius agentis praestari vult, unde processus effici et ea progrediundi alacritas videatur, qua animi quasi stimulis concitentur. Qua in re eadem valet differentia quae alio loco (de an. II, 1) interesse dicitur inter

---

[1]) Cf § 22 sq.

[2]) Tacit., Germ. 24.

[3]) Cf. Schol. a. l. l. (Met. IX, 8. 1050*a* 16—23) p. 783*a* 31 — *b* 12 ed. Acad. —

somnum (ὕπνος) et vigilantiam (ἐγρήγορσις), inter scientiam (ἐπιστήμην) et contemplationem (θεωρία). — Non enim ut visum habeant vident animalia (οὐ γὰρ ἵνα ὄψιν ἔχωσιν ὁρῶσι τὰ ζῶα), sed (ὅπως ὁρῶσι ὄψιν ἔχουσιν) ut videant visu i. e. videndi facultate praedita sunt (Met. l. l. 1050*a* 10). Quapropter actionem (ἐνέργειαν) ait ab agendo dictum esse (καὶ συντείνει πρὸς τὴν ἐντελέχειαν), quae contendat ad perfectionem (ib. *a* 22). — Accedit quod iam alibi laudatum est (Eth. X, 5 in.): πᾶσάν τε ἐνέργειαν τελειοῖ ἡ ἡδονή [1]). Voluptatem tamquam sponte advenire necesse esse, quae actionem perficiat. Non enim satis est, operantem ostendere posse discipulum. Tum demum cum lubenti animo veraque voluptate commotum hominem ἐνεργοῦντα videmus, et virtutis et scientiae studio magis magisque incumbentem: opus quodammodo perfectum habemus. Quodammodo enim initium et finis inter se conectuntur: dumtaxat voluptas perfecti operis et ea incipientis est. Ad cupiendi voluptatem primum ex Aristotelis sententia valere oportebat exercitationem ac disciplinam, et voluptatem (τὴν ἐπιγενομένην ἡδονὴν ἢ λύπην) vires exercitates indicare (σημεῖον τῶν ἕξεων Eth. N. II, 2. 1104*b* 3). Strenuus ille, qui bene moratus cum amore et voluptate bonum exercet verique inveniundi cupiditate incitatus lubentem animum ad optumarum rerum studium intendit, is quasi opus perfectum opifici se praebet [2]). — Quodsi autem virtutis praemio coronari dicitur, virtutem qui consecutus est: cuiusque operis perfectioni voluptas accedit et illa quidem propria cuiusque actionis eique consentanea (ἡδονὴ οἰκεία . . ἡ γὰρ κατὰ τὴν ἐνέργειαν), propria, inquam, cum sensuum perceptionis tum cogitationis et intellegentiae (καὶ ἐφ' ἑκάστῳ δὲ θεωροῦντι ταῦτ' ἂν φανείη, ἑτέρα γὰρ ἵππου ἡδονὴ καὶ κυνὸς καὶ ἀνθρώπου), atque hominum ex intuma sua cuiusque animi impetu actio enasci debet. (Eth. N. X, 5. 1176*a* 4 sqq.) [3]). Itaque omnia eo tendunt, ut quam maxime et ipsum agere et ipsum cogitare discat homo, unde summam denique hauriat voluptatem. Et profecto, velut Nostri ex animo dictum videtur hoc

---

[1]) Cf. § 22.

[2]) Cf. § 1.

[3]) Cf. Met. l. l. 1050*a* 35 sqq.

Ciceronis (de Nat. Deor. I, 5): quin etiam, inquit, obest plerumque iis qui discere volunt auctoritas eorum qui se docere profitentur. — Voluptas ex conscientia nostrae ipsius perfectionis percipitur [1]). De qua autem voluptate nunc loquar, qualis intellegentiae propria esse et ad cogitationem dicitur pertinere, ea obtingit nobis non tam negotia gerentibus quam fruentibus otio. Quo frui non nesciundum est (Pol. IV, 14 extr.): *αἴτιος δ' ὁ νομοθέτης οὐ παιδεύσας δύνασθαι σχολάζειν.* Nec mirum quod in hac re vel etiam summum posuit Aristoteles, quippe qui inde ex fine proposito caetera omnia iubeat legislatores educatoresque et gubernare et moderari [2]). — De hac igitur re accuratius est disserendum.

41. Videri etiam putat Aristoteles beatitudinem in otio consistere (Eth. N. X, 7. 1177*b* 4 sqq.): ideo oportere non solum negotiari — ut ita dicam — sed etiam otiari homines discant (Pol. IV, 14. 1333*a* 41 sqq.: *ὥστε πρὸς τούτους τοὺς σκοποὺς καὶ παῖδας ἔτι ὄντας παιδευτέον καὶ τὰς ἄλλας ἡλικίας, ὅσαι δέονται παιδείας*). — Versamur in negotiis ut otio fruamur, sicut bella gerimus, non bellandi causa, sed quo pacem agamus. Eandem fere sententiam apud Platonem invenimus (Legg. I. 628*c* sq.) qui legislatorem diligentem (*ἀκριβής*) fieri negat, nisi si magis pacis gratia bellicas res curet quam bellandi causa ea quae pacis sunt. Sed — ut cum Aristotele pergamus — in pace ut vivamus, bella fieri non nequit ut suscipiunda sint, nec ullo modo sine negotio otium habere otioque bene uti possumus (ib. IV, 15: *φανερὸν ὅτι δεῖ τὰς εἰς σχολὴν ἀρετὰς ὑπάρχειν· τέλος γάρ, ὥσπερ εἴρηται .. σχολὴ δ' ἀσχολίας*). Utiles autem ad otium et vitam otiose et optume degendam (*πρὸς τὴν διαγωγήν*) virtutum et eas quarum munus (*ἔργον*) in otio versetur, et eas quae in negotio fungantur. Hinc patet praeclarissima Aristotelis sententia: Rerum necessariarum multae suppeditent oportere, ut otiari licitum sit; (*δεῖ γὰρ πολλὰ τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχειν, ὅπως ἐξῇ σχολάζειν*) virtutes praebeant quasi materiem, unde otiosis pulcerrima beatae vitae forma (actu) efficiatur. Neque enim Aristoteles

[1]) Cf. § 22 in.

[2]) Cf. §§ 10 et 32.

ludendi tantum iocandique causa vitam nos degere sentit, neque modo otio opus esse, quod necessario interdum animi remissio vel recreatio requiratur, verum etiam idcirco potissimum quod pro natura ac parte nostrum cuique, cura et negotio vacanti, ea praebeatur requies animique tranquillitas, qua mens ex sua propria optumarumque rerum occupatione verissimam habeat ac propriam voluptatem (cf. Eth. N. X, 6 et 7 in.). Quare Noster: videtur igitur, inquit, mirabiles voluptates cum sinceritate continere tum stabilitate sapientiae amor (*φιλοσοφία*), ac probabile est (*εὔλογον*) scientibus magis quam quaerentibus iucundum esse optume vivendi fructum (*τὴν διαγωγήν* ib. 1177 *a* 25). — Id est quod dicunt, ad summum aliquid et optumum adspirare Stagiritae doctrinam. Apud Platonem quis nescit, rei publicae rectores aut philosophi sint oportere, aut philosophi rem publicam regant[1]). — Aliud sentit Noster. Otium, philosophiam, beatitudinem omnibus esse ac pro parte singulo cuique perfectionis institutionisque fructus (Pol. IV, 14. 1333 *a* 29: *ἀεὶ γὰρ ἑκάστῳ τοῦθ' αἱρετώτατον, οὗ τυχεῖν ἔστιν ἀκροτάτον*). Idem qui in civitate gubernanda experientia ac prudentia duce agit negotiisque nititur, agere et niti pro nullo alio nisi pro eo debet, quo bonum et pulcrum atque sui et omnium singulorum beatitudo et otium efficiantur (Pol. V (VIII), 1). — Deinde, quantopere Noster in universum ubique et totum animadvertit, tantopere eoque magis singuli cuiusque propriam naturam omittere nolit[2]). — Quapropter in Ethicis (l. l. c. 7 extr.): *τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐστιν ἑκάστῳ.* et loco iam supra adlato (Pol. IV, 14. 1333 *a* 39): *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον* (de animi partibus actionumque distributione agitur) *καὶ περὶ τοὺς βίους καὶ τὰς τῶν πραγμάτων διαιρέσεις· δεῖ μὲν γὰρ ἀσχολεῖν δύνασθαι καὶ πολεμεῖν, μᾶλλον δ' εἰρήνην ἄγειν καὶ σχολάζειν· καὶ τἀναγκαῖα καὶ τὰ χρήσιμα δὲ πράττειν· τὰ δὲ καλὰ δεῖ μᾶλλον.* Otium tibi conciliare non nisi ex opere tuo ac munere perfecto poteris: at pro sua parte necesse est singulus quisque negotiari discat, ut omnibus aliquando otiari liceat. Sane, homini inperfecto et inculto, pueris et eis demum qui libertate careant, otium negat

[1]) Cf. Plato, Rep. V. 473 *c*.
[2]) Cf. § 8.

Aristoteles revera esse posse (ib. IV, 15 in: *κατὰ γὰρ τὴν παροιμίαν, οὐ σχολὴ δούλοις*)[1]. Servis nullum otium. — Itaque a teneris, *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων*, ut Graevi dicunt, eo spectare debet educatio et institutio, quod adultis otio est (c. 14 l. l.). Puerorum animos accipimus semper aliquid agere velle, semper aliqua re gaudere, deposcente natura (Pol. V, 6 in.)[2]. — Quam ob rem Aristoteles summo studio musicam doceri commendat, qua arte pueros opus esse quem ad modum et quemdam usque ad gradum exerceri exercentesque adsuefieri (ib. 1340 *b* 32 sqq.), idque non ludendi gratia (*παιδιᾶς ἕνεκα*) neque ut animi inde habeant respirationem (*ἀνάπαυσιν*), sed unde recte diiudicare et recte, ut deceat, delectari possint, cum talis sit musica quae excolat animos spectans ad honestatem, virtutes morales voluntatisque libertatem (ib. 1340 *a* 14 sqq.). Neque hoc tantum (*τὸ κρίνειν ὀρθῶς καὶ τὸ χαίρειν τοῖς ἐπιεικέσιν ἤθεσι καὶ ταῖς καλαῖς πράξεσι*) sed, id quod hoc loco premendum est, musicam tractandam esse[3]), quoniam necessaria quaedam — *πρὸς τὴν ἐν τῇ διαγωγῇ σχολήν* — discenda instituendaque sint, institutiones et disciplinas ipsarum gratia (ib. V, 3. 1338 *a* 9 sqq.)[4]. Accedit, ut quod accurate diiudicare et discernere velis ipse tua contentione exercueris necesse sit (ib. IV, 6 in.). Haec hactenus. In eo autem Nostrum subsistere non potuisse rei tanti factae, verbis pro certo habebis etiam his (l. l. c. 15 in.): *ἀνδρίας μὲν οὖν καὶ καρτερίας δεῖ πρὸς τὴν ἀσχολίαν, φιλοσοφίας δὲ πρὸς τὴν σχολήν.* Fortitudine igitur et laborum tolerantia ad negotium opus est, philosophia autem ad otium. — Graviter ferendum est, hac ipsa de re haud plura nos tradita habere. Nescio an longe a vero ex Nostri sententia aberrem, cum quantum puerili naturae ludus sit, tantum perfectae hominis naturae id esse censeam quod animo otio apte fruenti summam praebere possit voluptatem (cf. Eth. N. IX, 9). — Haud est ignotum philosophi nostri hoc (Met. XII, 7. 1072 *b* 24): *ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον.* Et forsitan non modo non alienum ab hac sententia, verum

[1]) Cf. Eth. N. X, 6 extr.
[2]) Cf. §§ 15 et 16.
[3]) Cf. Pol. V, 3. 1337 *b* 29—35.
[4]) Cf. Plato, Legg. VIII, 797; de rep. IV, 424; III, 401.

etiam breviter quodam modo Aristotelis ex animo expressum videri potuerit hoc Schilleri nostri, cum hominem dicat non esse ludentem, nisi ubi vere sit homo [1]). 'Der Mensch spielt nur, wo er in voller Bedeutung des Wortes Mensch ist, und er ist nur da ganz Mensch, wo er spielt.' Poetice expressum est, id quod ad animi humani culturam spectat et ad veram naturae nostrae libertatem, qua summum aliquid, bonum et pulcrum, quamvis serio agatur, quasi ludentes cogitatione hauriamus. Sane ludendo, quis non concedat, neque virtutem contineri neque intellegentiam: at nihilo minus certum est et memoria constat, servili animo atque oppresso nec bonum in actionibus nec pulcrum in artibus nec denique verum in scientiis umquam adparuisse. — Hinc ad finem huius quoque partis accedo nec habeo multa quae addere velim. —

42. Verba verbis iam nunc laudatis (Met. XII, 7) adnectere convenit. De divino intellectu agitur, primo et summo omnium rerum, commotarum et commoventium, motore, unde Aristoteles ad humanam simul naturam et conditionem respicit (l. l. 1072*b* 14 sqq.): *διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν· οὕτω γὰρ ἀεὶ ἐκεῖνό ἐστιν· ἡμῖν μὲν γὰρ ἀδύνατον, ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου· καὶ διὰ τοῦτο ... καὶ ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον· εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ· ὁ θεὸς ἀεί· θαυμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον ἔτι θαυμασιώτερον.* Locum huc confero notissimum et apud doctos homines vel illustrissimum. — Atque quantum quidem ad propositum attineat, plana est sententia nec longa opus erit disputatione. Summus ille et divinus intellectus ea perpetuo fruitur beatitudine, quae nobis quidem raro tantum nec nisi aliquamdiu obtingere potest, quippe qui homines simus nec perpetuo possimus in actu esse. Ex eadem fere ratione de voluptate illa et delectatione iudicandum est, quam, cum sit actionum consummatio ac perfectio (coll. Eth. N. VII, 13. 1153*a* 14), ille quidem semper videtur ac singulariter percipere, nos adeo demum ac tantum quantum nostrae naturae et vitae proprium sit. [Neque aliud fere Themistius habet et Aphrodisiensis Alexander, apti, ut videntur, huiusce rei commentatores:

[1]) Cf. Schiller, Aesth. Erz. d. Mensch. Br. XV. (Werke, XII.)

quorum verba huc adferre nolui, ne longius viderer a proposito discedere.][1]) — Quae autem cum ita sint et quamvis humana natura cum illa divina ut videtur vix conparari nedum aequari possit: tamen dei, ut ita dicam, intellectioni et actioni nostrum aliquid respondet, unde ad illam divinam praestantiam quasi tollere nos et possumus et debemus. Nec est aliud nisi dostrina et disciplina, qua homines ad illud admirabile aliquid (*θαυμαστόν*) adspirandum institui possunt. Nam quod deum dicit non acquisitum habere sed ipsum esse, id nobis quantum possimus summa virtute paremus necesse est, optume scilicet vivendi conditionem. — Itaque educatorum esse et rei publicae rectorum, ut sentit Noster (Pol. IV, 3 s. f.), ad earum rerum occupationem animos adpellere, quae ipsae perfectae (*αὐτοτελεῖς*) sunt et instituere eas quae ipsarum gratia suscipiundae sunt, contemplationes et intellegentiae actiones: *ἡ γὰρ εὐπραξία τέλος, ὥστε καὶ πρᾶξίς τις* (ib. 1325*b* 21). Iam, inquit, in rebus publicis pro communi salute fieri non nequit, ut tale aliquid sui ipsius gratia agatur, id quod similiter nostrum singulo cuique attributum est: quae ni ita essent, — ut praeclare additur, — vix pulcre se haberet deus et omnis mundus (*σχολῇ γὰρ ἂν ὁ θεὸς ἔχοι καλῶς καὶ πᾶς ὁ κόσμος*), quibus nulla sunt externae actiones (*ἐξωτερικαὶ πράξεις*) praeter ipsorum proprias atque domesticas[2]). — Huc denique spectat id quod Ethic. Nic. (l. l. X, 8. 1178*b* 27 sq.) tam scite quam subtiliter dicitur: diis inmortalibus omnem vitam esse beatam, hominibus (tamquam diis inmortalibus), quatenus simulacrum quoddam (*ὁμοίωμά τι*) talis actionis iis attributum sit. [Quem ad locum quid sibi Zellius cum aliis l. l. repugnantiae viderit, nec ille accurate disputavit nec equidem intellegere possum.][3]) Immo vero ad unum omnia spectant, finem dico propositum, quem quamvis certando luctandoque adpetere, discendo et cognoscendo adsequi videamur, gradatim nempe pro virtute unius cuiusque nostrum. Et in ipso adsequendo eum actio consistat, tum una inest vera voluptas

---

[1]) Cf. Schol. ed. Acad. p. 805*b* 36 sqq. b 41 (fol. 14).

[2]) De verb. not. cf. Trendelenburg, a. de an. comm. p. 115 sq. 149; Stahr, Arist. II, 272; Waitz, org. p. 214 sq.; Zeller, Phil. d. Gr. II, 2 p. 95 sqq.

[3]) Zell, Arist. Eth. N. p. 462.

(Met. l. l. 1072 *a* 22): ἐνεργεῖ δὲ ἔχων. — Hinc unde initio exiimus, revertendum est[1]). (Cf. Pol. IV, 15. 1334 *a* 30 sqq.) — Si qui sunt, uti fabulantur poetae, beatorum in insulis qui versentur, hi quam maxime et eo magis philosophiam requirent, temperantiam, iustitiam, quanto magis otiose viventes talium bonorum copia (ἐν ἀφθονίᾳ τῶν τοιούτων ἀγαθῶν) fruuntur. Quibus rebus uti non posse (χρῆσθαι) cum turpe esse, tum longe turpius iis otiosos uti non posse, sed occupatos quidem et bella gerentes se praebere viros bonos, pacem vero agentes otioque vacantes serviles animos prae se ferre, velut servili conditione praeditos (ἀνδραποδώδεις. l. l. *a* 40). — Habes, quo Nostro auctore tendimus. — Humana natura, educatione perfecta, et otium optume ac pulcerrime habere et negotium poterit, nulla dissensione. Quo, inquit Aristoteles, qua via perveniundum sit, iam prius dictum est, quod hac partitione fieri oportet, natura, moribus, ratione: quae necesse est concinant inter se optumo concentu. — Et enim fieri qui potest haec, quam voluit Noster, concinnitas in educatione, nisi ad necessitatem naturae et ad consuetudinis potestatem cum accedente ratione una accesserit ea libertas, unde ad vere humane vivendum ducitur homo. Qua quidem in re quantum usque etiam ad nostram aetatem peccatum sit, memoria docet, unde exempla produntur non pauca. Aut enim naturae adversantes in doctrina et disciplina omnia posuerunt, aut unam naturam sequentes magistram alteram naturam, consuetudinem et doctrinam, 'vetustatem' ut verbo utar Ratichii[2]), nimium quantum deseruere. — Aliud sensit Aristoteles, qui neque naturam voluerit nec morem et consuetudinem neglegi, sed alteram cum altera coniungi et alteram ab altera suppleri, imperante ratione. Namque a ratione vidit cum finem proponi, quem pro sua parte ac facultate singulus quisque adsequi deberet, tum omnino veritatem exoriri, qua honeste agendi mensura daretur et recte intellegendi perspicuitas[3]). — Unitatem quaerit Aristoteles. Propter veri inveniundi cupiditatem cum cogitando denique causam moventem perscrutemur, ad movendi originem per-

---

[1]) Cf. § 41 in.

[2]) Ratichius, Praxis, p. 178 (coll. Verfassung, Motto).

[3]) Cf. §§ 28 sq.; 38 sq.

venimus, unde ex Nostri doctrina rerum principium (τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρῶτον), ille divinus intellectus intellegendo semet ipsum intellegens (νοῦς νόησις νοήσεως νόησις), cognoscitur, cuius suimet ipsius contemplatio summa virtus est et summa beatitudo. Sic quoque in humano intellectu aliquid viget, summum atque absolutum, in quo ἀρχὴ καὶ τέλος, movendi finis et causa unde movetur in unum conveniunt[1]). A principio enim non dubium est, unum idemque apud Nostrum valere, quod ut bonum agendo et cogitando ut verum animo conprehenditur: "οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω" (Met. l. l. c. 10).[2]) Id quod in humana educatione parum observasse videntur educatores et praeceptores. Sed de his rebus plura in aliis: nunc vero quantum unum illud ad summum propositum attineat, iam hac Aristotelis sententia conprobari poterit, tam concinne quam brevi expressa (ib. 1075*b* 24): τῷ δὲ πρώτῳ ἐναντίον οὐθέν. — Nam fieri debet ut, quae initio quam inter se longe distent τὸ φύσει πρῶτον et τὸ ἡμῖν πρῶτον, una quodam modo conveniant in aeterno nostro inmortalique intellectu[3]). Hinc enim homo sapiens dicitur, qua una eius virtute omnium summa continetur: atque inde perficitur illud educandi munus (ἔργον παιδείας), ita, ut moribus et doctrina id quod naturae desit optuma ratione suppleatur. —

His rebus tractatis proposito satis factum esse nec restare videtur, nisi ut extrema parte et conclusione, quam breviter fieri possit, disputata singulis rebus illustrare et Nostro duce tamquam exemplis et argumentis conplere conemur. —

---

[1]) Cf. Eth. Nic. VI, 6; de an. III, 4 s. f. (coll. Trendelenburg, a. de an. l. l. p. 485 sq.)

[2]) Cf. Hom. Il. B, 204 (coll. de part. an. III, 4. 665*b* 14).

[3]) Cf. § 24 (de an. III, 10. 433*a* 26).

CONCLUSIO.

De disciplinis, virtutibus, scientiis.

43. Opus esse educationis (ἔργον παιδείας) docet Aristoteles (Pol. IV, 13. 1332*b* 10), postquam a natura (φύσει) omnia sint (δυνάμει) quam aptissime (ib. *b* 8 coll. 1334*b* 7) parata (§ 19), reliqua (τὸ λοιπόν 1334*a* 2 coll. 1332*b* 10) et industrie (ἐνεργείᾳ) exercendo, consuetudine nimirum (ἔθει) et more (§ 20), et graviter per causas docendo (τὴν αἰτίαν, ὅθεν ἡ ἀρχή), institutione quidem (λόγῳ) et disciplina (§ 33), omnino autem pro norma virtutis et eius mensura (διὰ τὴν ἀρετήν) explere: ita ut finis propositus (τὸ οὗ ἕνεκα), hominis, inquam, destinatio, quam optume perficiatur (§ 1). Quem ad finem id quod absolute (ἁπλῶς) bonum et verum sit hominis fiat (αὐτῷ) magis magisque proprium oportere, secundum naturam, ratione duce (l. l. 1333*a* 21)[1]. — Hanc vero bipartitam (διχῇ) esse, ait, sicut bipartito omnis sit vita humana, in otium et negotium distributa (ib. *a* 24; *a* 30 sq.). Inde gradatim ex eo quod est necessarium et utile ad ea quae sunt pulcra (εἰς τὰ καλά) studia et disciplina (τὰ ἐπιτηδεύματα) disponuntur (ib. *a* 15; *a* 32 sq.). Quarum traditur quattuor esse rerum, quae pueros doceri soleant (1337*b* 23), literas et artem pingendi, artem gymnasticam et musicam. Quarum ex numero[2]), ad has duas quod attinet, cum altera esse dicitur necessaria, altera iucunda,

---

[1]) Cf. § 10 (34, 40) coll. Pol. l. l. 1332*a* 10 sq.

[2]) Cf. Eth. N. X, 10. 1180*b* 2.

tum utraque praesertim ad honestatem spectare (1337*b* 27; *b* 31; 1339*a* 21): illae vero cum sint utiles, tum ad liberales etiam artes referuntur (ib. 1337*b* 26; 1338*a* 15 sq.; *a* 39 sq.). — Platonem quis nescit duabus potissimum artibus educationem contineri putasse, musica et gymnastica, musicae nomine latius, ut videtur, patente [1]). — At quaesierit quis huius Nostri dispositionis accuratiorem et maxime ad aetatem qua conveniat explanationem: quoad quidem huiusce modi distributio, praesertim cum virtutes et scientias huc addamus, haud procul abesse videatur. Id quod nescio an minus tamen quaerendum sit. Singuli cuiusque hominis indolem, aetatem, facultatem nemo fere Nostro magis non omiserit. Satis autem a principiis constat, praeter omnem quam praebuerit singularum rerum accuratam distinctionem, adeo potissimum totius operis eam, quae nullo modo neque dirimi nec distrahi debeat, concinnitatem consensionemque requiri, ut istius modi aliquid ab Aristotele non nisi frustra desiderare videamur (§ 9). Atque aliud est consideratio, aliud rerum gerendarum tractatio: quae ut aetatibus conveniat neque tam actionum varietate quam progressu efficitur (cf. l. l. IV, 13 extr. coll. V, 4 s. f.). — Sed haec hactenus. — Denique humanitatis, ut ita dicam, culmen sapientiam habes, quacum una (Eth. Nic. VI, 13. 1144*a* 5 sq.: *μέρος γὰρ οὖσα τῆς ὅλης ἀρετῆς τῷ ἔχεσθαι ποιεῖ καὶ τῷ ἐνεργεῖν εὐδαίμονα*) summam beatitudinem [2]). — His fere lineamentis singula quae insequuntur iam nunc quam brevissime expediamus.

44. Animi curam cura corporis debet antecedere, doctrinam exercitatio (Pol. V, 3. 1338*b* 4 sq.). Quodsi igitur corporis saluti membrorum agitatio et motus prodesse puerilique naturae ludus et alacritas videbantur convenire [3]): educationis est hinc satis mature (*ἐκ μικρῶν παίδων*) et apte usum capere (ib. IV, 13. 1336*a* 13), ac praecipue corporis exercitationibus futurorum civium prosperam valetudinem fortitudinemque adiuvare (*πρὸς ὑγιείαν καὶ ἀλκήν* ib. 1338*a* 19 sq.). — Pueros

---

[1]) Rep. 576 c. 403 c.

[2]) Cf. § 10.

[3]) Cf. § 15.

igitur una cum Platone[1]) Aristoteles quam primum tradendos esse censet eis quae distincte gymnastica et paedotribica dicuntur artibus, quibus et habitus (ἕξις) corporibus qualis quidam conparetur et ad munera fungenda habilitas atque facilitas (ib. V, 3 extr.)[2]). — Fieri autem utrumque oportere mensura adhibita et ad aetatem singulorum educandorum et corporum constitutionem relata (ib. c. 4 s. f. coll. Eth. N. II, 2. 1104*a* 14): *τά τε γὰρ ὑπερβάλλοντα γύμνάσια καὶ τὰ ἐλλείποντα φθείρει τὴν ἰσχύν.* Nam corporis quae et inmoderate fiunt et parcius quam par sit exercitationes vires corrumpunt. Reprehendit Aristoteles eas civitates quae hoc minus curant, qua quidem in re neque minus cum Platone consentit[3]). — Necessaria enim ducuntur inservire debere eis quae pulcra sunt, nec feritatem athletarumque ferocitatem adpetendam esse, sed — *ὥστε τὸ καλὸν ἀλλ' οὐ τὸ θηριῶδες δεῖ πρωταγωνιστεῖν* (1338*b* 29) — optumi viri virtutem (*ἀνδρείαν*). — Sed de gymnastica disciplina hactenus. Nunc de musica disserendum est.

45. Iam Musaei fertur (l. l. 5. 1339*b* 21): *βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν.* Mortalibus nihil cantu dulcius. — Et inde et eo quod natura puerilis laetitiam sibi deposcere imitationeque videtur gaudere (1340*a* 3 sqq.) sicut corpora gymnastica sic musica debent animi conformari[4]). — Pol. l. l. 1339*a* 21: *ἢ μᾶλλον οἰητέον πρός ἀρετήν τι τείνειν τὴν μουσικήν, ὡς δυναμένην, καθάπερ ἡ γυμναστικὴ τὸ σῶμα ποιόν τι παρασκευάζει, καὶ τὴν μουσικὴν τὸ ἦθος ποιόν τι ποιεῖν, ἐθίζουσαν δύνασθαι χαίρειν ὀρθῶς.* — His graviter dictis, quamvis ex dubitatione quadam (*ἀπορία*) repetitis, totius rei summa continetur (cf. 1340*a* 7 sq.). Musica enim, quae — ut vere et sine ulla dubitatione adparebit, — et ad indolem virtutis moralis et ad animi humani culturam omnino contendit (*καὶ πρὸς τὸ ἦθος συντείνει, καὶ πρὸς τὴν ψυχήν*), certo quodam modo morati nos fieri et quales quidam (*ποιοί τινες*) videmur: cum talis sit ipsa, qua adsuefieri possimus, eo quo deceat, ⭠

---

[1]) Cf. Plato, Rep. 576*e*. 403*c*; Gorg. 517*e*; Protag. 513*a*.
[2]) Cf. Galen., de valet. tuend. II, 9. 11.
[3]) Cf. Plat. Rep. 403 extr.
[4]) Cf. §§ 16 et 17.

οἷον δεῖ — recte et bene (*ὀρθῶς*) laetari. Ex qua animi commotione iam satis ostendimus, quasi ex fonte virtutis, decora atque honesta omnia oriri [1]). — Itaque breviter quidem accurate tamen Nostro duce rem considerare conemur. — Primum vero sententia Aristotelis inde ex eo elucescere videtur, quod iam ante verbi gratia commemoravi, cur sint, qui musicam ab initio in puerorum educatione instituerint, velut ab ipsa natura ducti, quae non tantum negotii recte gerendi sed etiam otii pulcre habendi rationem quaerat (l. l. c. 3 in.: *διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτὴν ζητεῖν . . μὴ μόνον ἀσχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι καλῶς . . αὕτη γὰρ ἀρχὴ πάντων . . καὶ ὅλως ζητητέον τί ποιοῦντας δεῖ σχολάζειν*). — Otio fruentibus aliquid faciundum est, ut muneribus non modo apte occupati esse, verum etiam pulcre vacare possint. — At haec quidem quamvis sint recta (1338*a* 9), tamen ad musicam disciplinam instituendam minus graviter habentur valere. Namque Aristoteles non tam ob illam sublimiorem quandam vitae degendae rationem et voluptatem (*πρὸς διαγωγήν*), nec vero respirationis gratia (*ἀναπαύσεως χάριν*), propter animi remissionem (*πρὸς ἄνεσιν*) et recreationem, ludendo iocandoque requirendam, — quam eam ob causam instituendam putat adhibendamque esse musicae artis culturam, quod permultum valeat ad excolendam virtutem moralem, — nimirum, (*παιδείας ἕνεκεν*) propter humanam educationem. Negatur enim illud utrumque pueritiae esse (l. l. 1339 *a* 26 sq.), cui hoc tantum conveniat, quo ad honeste vivendi rationem praeparetur: *οὐθενὶ γὰρ ἀτελεῖ προσήκει τέλος* [2]). — Hinc diiudicatur Aristotelis prima, quam nobis proposuit, quaestio (*πρώτη ζήτησις*), utrum in disciplinis habenda sit musica necne, et trium causarum ex numero — *παιδείαν ἢ παιδιὰν ἢ διαγωγήν* — cuius potissimum vim obtineat (cf. ib. *b* 14): *εὐλόγως δ' εἰς πάντα τάττεται καὶ φαίνεται μετέχειν.* — Profecto, musica animos certo quodam modo moratos fieri (1340*b* 10 sq.). Videri enim censet Aristoteles inesse in numerorum modorumque motu, in harmoniarum vocibus vibrantibus, quae iram imitentur et lenitatem, perturbationes et virtutes, praeter veras ipsorum

---

1) Cf. § 21 s. f. (Eth. Nic. II, 2).
2) Cf. §§ 17 et 41.

naturas nostrae cognatum aliquid (*συγγένειά τις*), unde cum consonet commoto audientium in animo, similes nobis incedant adfectus (*συμπάθεια*) et animi agitationes, velut metus et misericordia (*ἔλεος καὶ φόβος*): *δῆλον δὲ ἐκ τῶν ἔργων· μεταβάλλομεν γὰρ τὴν ψυχὴν ἀκροώμενοι τοιούτων.* Facta ipsa rem declarant: talia enim ubi audimus, animorum fit in nobis commutatio (cf. l. l. 1340 *a* 8—21). — Inde ex commutatione altera nobis natura gignitur (*ἐθισμός*): imitationibus pueriles animi valde moventur[1]). Imitatio autem cum omnis ex Nostri sententia artis propria sit (Poet. 1 in.), tum in ipsis modis et cantibus morum insunt imitationes (*μιμήματα τῶν ἠθῶν.* l. l. 1340*a* 38). — Quid igitur? musica, ut sit omnium consensu iucundissima, et pura (*ψιλή* h. e. materie fere privata), et canora (*μετὰ μελῳδίας*), quam maxime et idonea videtur, qua puerorum animi ad libere se et decore delectandum et ad recte faciundum inflammentur (cf. ib. 1339 *b* 20 sq. coll. 1340*b* 12: *εἰ δὲ τοῦτο δύναται ποιεῖν, δῆλον ὅτι προσακτέον καὶ παιδευτέον ἐν αὐτῇ τοὺς νέους*). — Deinde, — ut ex universalibus ad singularia quaedam magis procedamus, — in moribus et consuetudine nihil Noster antiquius habet quam illud (*τὸ κρίνειν ὀρθῶς καὶ τὸ χαίρειν τοῖς ἐπιεικέσι ἤθεσι καὶ ταῖς καλαῖς πράξεσιν* ib. *a* 15 sq.), ut de aptis rebus et apte, i. e. decore et recte, laetari et recte discernere possimus. Quem ad finem (*τῶν ἔργων κριτὰς γενέσθαι σπουδαίους*) pueri non modo auditores (*ἀκροώμενοι*), verum etiam usque ad certam quandam exercendi diiudicandique facultatem (1341 *a* 5 sqq.) ipsi actores fiant (*ὥστε καὶ κοινωνεῖν τῶν ἔργων*) oportere, nempe usque eo quo liberalia atque ingenua pertineant et unde incipiant necessaria atque illiberalia (*βάναυσον*). Hinc, tamquam ex honestatis mensura, pulcre operantibus fines et termini panguntur[2]). (Cf. l. l. 1340*b* 36: *διὰ τοῦτο χρὴ νέους μὲν ὄντας χρῆσθαι τοῖς ἔργοις, πρεσβυτέρους δὲ γινομένους τῶν μὲν ἔργων ἀφεῖσθαι, δύνασθαι δὲ τὰ καλὰ κρίνειν καὶ χαίρειν ὀρθῶς διὰ τὴν μάθησιν τὴν γενομένην ἐν τῇ νεότητι.* coll. 1341 *a* 13 sqq.) Virtute, exercitando bene perfecta (*ἕξις*),

---

[1]) Cf. §§ 16 et 17 (Poet. 4, 1448 *b* 20; Rhet. I, 11. 1371 *b* 4 sqq. coll. l. l. Pol. V, 5 extr.).

[2]) Cf. § 25.

honestatis decus (τὸ καλόν) continetur [1]). Neque alia ratione apud Nostrum invenimus de deligendis instrumentis (ποίοις ὀργάνοις χρηστέον) atque modis censeri (l. l. 1341 *a* 17 sqq.). Vetat Aristoteles praecipue tibiarum usum in puerorum institutionem induci, cuius rei optumam causam vel praeter illud Minervae, quod adfert, argumentum (ib. *b* 3) facile intelleges (cf. l. l. 1339 *b* 21). Prae Lydiae (λυδιστί, μιξολυδιστί) mollitie et remissione, prae Phrygiae (φρυγιστί) furore et concitatione, Doricam (δωριστί) laudat sedatam, virilem honestamque harmoniam (ib. 1340 *a* 39 sqq. coll. 1342 *a* 29 sq.) [2]). Sed hinc denique ad tertium aliquid venimus. — Quae quidem cum ita sint, neque solum instituenda sed etiam ita instituenda videatur musica, ut honestati omnino conveniat, sequi adparet — id quod docet Aristoteles — ut ad educandos pueros puerilesque animos purgandos (παιδείας ἕνεκεν καὶ καθάρσεως) nulla alia utatur musica nec ulla alia harmonia, nisi quae honesta sit, vel omnium honestissima (ταῖς ἠθικωτάταις c. 7. 1341 *b* 19 sqq.). — [Loco laudato vides Spengeli [3]) me emendationem secutum esse, hanc (*b* 36 sq.): παιδείας ἕνεκεν καὶ καθάρσεως ... πρὸς διαγωγήν, τρίτον δὲ πρὸς ἄνεσίν τε καὶ τ. λ., sane, et rebus et verbis ipsis satis permotum. De ipsa re, quid Nostro cum omnino tum hoc loco valuerit κάθαρσις (coll. Poet. 6. 1449 *b* 24 sqq.), permultum, quis nescit, doctissimos homines adhuc disputasse [4]): nec equidem satis scio, num etiam hodie sub iudice lis sit, nec vero nostrum poterit esse plura huc adferre.] At purgatio quaedam, Nostri ex animo videtur in omni musica quodam modo inesse: atque harmoniis, inquit, perspicuum est, utendum quidem omnibus esse (χρηστέον μὲν πάσαις ταῖς ἁρμονίαις), at certe non eodem modo omnibus (οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον πάσαις): et animorum adfectus (πάθος), is videlicet, quo fieri potest ut nonnulli valde et acriter commoveantur (κατακώχιμοι), hic quidem in omnibus

---

[1]) Cf. § 20.

[2]) Cf. Boeckh, de metr. Pind. III, 7 in.

[3]) Abh. d. phil.-philol. Kl. d. Bair. Acad. d. W. 1860 IX, 1 p. 1—50 coll Bernays, Abh. d. hist.-phil. Ges. Breslau, 1858 I et Rhein. Mus. 1859, 14.

[4]) Cf. Lessing, Hamb. Dram. II, No. 74—78 (coll. Arist., Rhet. II, 9); Goethe, Nachlese z. Arist., poet., Werke, 46 p. 16 sqq.; Boeckh, Ges. Schr. oratt. I, p. 180; Zeller, Ph. d. Gr. II p. 610 (ed. 1862).

inest, at non eodem modo eodemque commovendi (*κινήσεως*) gradu in omnibus: *τῷ δὲ ἧττον διαφέρει καὶ τῷ μᾶλλον* (cf. l. l. 1341*a* 1—15). Puerilis animus non nisi honeste adficiatur oportere: neque, ut hunc in modum vel dolore commoveatur vel voluptate, nisi honestis rebus in educatione utendum esse (ib. 1342 *a*28: *πρὸς δὲ παιδείαν .. τοῖς ἠθικοῖς τῶν μελῶν χρηστέον καὶ ταῖς ἁρμονίαις ταῖς τοιαύταις. τοιαύτη δ' ἡ δωριστί*), nam nisi ex honestis honesta, quibus et pueris et natu maioribus ornamenta fiant et decores (*κόσμος*), exsistere non posse (ib. c. 7 s. f.). Fieri enim opus esse ut ad virtutes perficiundas animi laetitia atque elatio ab eius artis disciplina porrigatur, cuius naturae mensura sit et consonantia, congruentia et numerus (cf. c. 5 extr.). Haec satis. Patet enim id quod perspicuum nobis fiat vult Aristoteles, cum in omni educatione et institutione, tum in musicae doctrina (*διδασκαλία τῆς μουσικῆς*) fines terminosque (*ὅρους, σκοπούς*) constituendos esse hos tres (cf. § 8 extr.): *τό τε μέσον καὶ τὸ δυνατὸν καὶ τὸ πρέπον*: quod medium est, quod fieri potest, quod decet (l. l. c. 7 extr.). — Haec igitur de musica. —

46. Iam inde a quinto usque ad septimum aetatis annum pueri etsi non participes at tamen spectatores fieri debent discendi instituendique (§ 18 et 19). — Hinc sicut ex fabellarum miraculorumque narratione qua delectantur (§ 18), ex laetitia deinde quae est simulacra, tabulas pictas coloresque spectantibus (§ 13), ex eo denique quod ad imitandi pertinet cupiditatem: ex omnibus his rebus, inquam, a natura quasi ansam dari adparet ad instituendam grammaticam et graphicam, ut Graece dicuntur, disciplinam[1]). Nimirum, inde ex rerum adspectu ad scientiam fiat progressus. At res satis a principiis constat: quamvis ob brevitatem, qua Aristoteles (Pol. V, 3) illas disciplinas quasi praetereundo tantum commemoravit, paullum aut prope nihil huius modi traditum verbisque expressum habeas. Sed aliis locis, iam ante collatis, esse non tantum imitandi accipimus et spectandi verum etiam discendi et cognoscendi voluptatem ac laetitiam, quas animi humani et pueriles maxime

[1]) Pol. IV, 17 (supr. coll.).

ex illis rebus percipiant[1]). (Poet. 4. 1448 *b* 12: *αἴτιον δε καὶ τοῦτο, ὅτι μανθάνειν οὐ μόνον τοῖς φιλοσόφοις ἥδιστον ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμοίως . . διὰ γὰρ τοῦτο χαίρουσι τὰς εἰκόνας ὁρῶντες, ὅτι συμβαίνει θεωροῦντας μανθάνειν καὶ συλλογίζεσθαι τί ἕκαστον*, coll. Rhet. I, 11. 1378*b*4 sq.: *τὸ μανθάνειν τε ἡδὺ καὶ τὸ θαυμάζειν, . . ὥσπερ γραφικὴ καὶ ἀνδριαντοποιία καὶ ποιητική, . . κἂν ᾖ μὴ ἡδὺ αὐτὸ τὸ μεμιμημένον· οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ χαίρει, ἀλλὰ συλλογισμός ἐστιν ὅτι τοῦτο ἐκεῖνο, ὥστε μανθάνειν τι συμβαίνει.*) — Res spectantes ad earum cognitionem excitantur: et gaudet puerilis animus hac sua cognoscendi, intellegendi atque colligendi facultate: nam cum ex imitatione initio discimus (*τὰς μαθήσεις πρώτας* l. l. 1448*b* 8), tum ex nostra ipsius cogitatione. — Haec brevi Aristotelis sententia: unde iam vides, quantum erga ipsam humanam naturam peccent educatores praeceptoresque, qui illam ingenii vim animique agendi adpetitionem adiuvare aut nesciunt aut etiam nolunt[2]). Quae vero hic aguntur, nulla sunt alia quam quae post vulgo disciplinarum elementa vocari solent, artes literas legendi et pingendi (*τέχνη τοῦ γράφειν τε καὶ ἀναγινώσκειν, γραμματιστική*)[3]). — Haud iniuria forsitan mathematicorum quaedam, velut ratiocinandi numerandique artem ut huc addamus monuerint ex Eth. Nic. (VI, 9. 1142*a* 16) quidem repetentes Aristotelis hoc quod quaeritur, unde puer mathematicus iam fieri possit, sapiens vel physicus non possit. Sed haec nunc minus curamus. — Quarum rerum docendarum viam et rationem quod attinet, eo non dubium est contineri, quod necesse esse praeceptum est a rebus facilioribus ad difficiliores, a cognitis ad magis ignotas progrediamur: (Rhet. III, 10. 1410*b* 9) *ἀρχὴ δ' ἔστω ἡμῖν αὕτη*. — Utraque enim, et grammatica et graphica, utilis esse (*χρήσιμος*) significatur (Pol. V, 3 in.) vitaeque usui peropportuna (*πολύχρηστος*): cum illa praesertim ad quaestum et commercium in tuendis rebus familiaribus publicisque gerundis multifariam praebeat magnos usus, haec insuper ad melius discernendum diiudicandumque (*πρὸς τὸ κρίνειν*) artificium opera (ib. 1338*a* 15 sqq.). — Nec parvo

---

[1]) Cf. §§ 17. 24 38. 41.

[2]) Cf. § 42 s. f.

[3]) Cf. Sext. Emp. a. Gr. 44 sqq. (Bekker, Anecd. 658, 7; 667, 17).

profecto nec levi momento hoc aestimandum est. 'Vitae discimus, non scholae.' — Id quod nihil prodest, vel 'detrimento erit. — Sane (l. l. 1338*b* 2): *τὸ δὲ ζητεῖν πανταχοῦ τὸ χρήσιμον ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις.* Est igitur distinguendum inter bono esse alicui rei et utilitatem ubique quaerere, hoc quod magnanimis atque ingenuis hominibus vel minime videtur decori esse. Itaque sicut de arte pingendi id Aristotelis premendum est quod ad corporum formarumque pulcritudinem concipiendam animos ait sollertes effici et sensus quasi elimari: sic quod grammatica vel literarum cognitione adiuvari dicimur, ut multas alias disciplinas percipere et conparare possimus (ib. *a* 37 sqq.): *οὐ μόνον διὰ τὸ χρήσιμον (δεῖ παιδεύεσθαι) . . ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ πολλὰς ἐνδέχεσθαι γίγνεσθαι δι' αὐτῶν μαθήσεις ἑτέρας*[1]). — Iam hinc conprobari et illustrari videntur quae educandi adparuerunt rationes atque principia. Quodsi enim ex gymnastica et musica iam patuit summum illud poetae (ut una et brevi absolvam): 'mens sana in corpore sano'[2]), certe, illae non tantum sed etiam hae, grammatica et graphica, ad virtutes pertinent, *ἠθικάς* et *διανοητικάς*, quarum simulacra (*ὁμοιώματα*), ut cum Aristotele loquar, puerili animo et informari debent et inculcari. — Non possum, quin in his disciplinis etiam praeparationem videam optumarum rerum et virtutum moralium, ad quarum studia puerorum et adulescentium animi ac maxime hunc, sane, in modum altera, ut videtur, annorum hebdomade (*τὴν ἀφ' ἥβης μέχρι τῶν ἑνὸς καὶ εἴκοσιν ἐτῶν*) adplicentur oportet, nimirum, exercitatione atque doctrina[3]). Quae cum ita sint, omittere nolui etiam has singulatim quam brevissime poterit pertractari, nec eo quidem minus quo magis totius educandi et instituendi operis conspectum habeamus necesse est. — Primum igitur de morum virtutibus.

47. Materiem, quam recte honesteque vivendi natura tribuit, et educationis et institutionis est apte utendo confor-

---

[1]) Cf. Poet. l. l. c. 4 et 9.

[2]) Juvenal, satir. X, 356 coll. Locke, some thougts conc. education, in.

[3]) Cf. § 32 (Pol. IV, 17 extr.).

mare (§ 12 sq.). Quodsi igitur cupiditate et ira (*ἐπιθυμία, ὀργή*), metu et audacia ((*φόβος, θρασύτης*) pueri adulescentesque animis commoventur, consuetudinem oportebit ex Nostri sententia et doctrinam — illis habenas adferre, has ad rectam rationem quasi coercere (Eth. N. III, 10 sq.)[1]). Hinc et fortitudo (*ἀνδρία*) exoriri potest et temperantia (*σωφροσύνη*), qua ante omnia nosmet ipsos vincere discimus (ib. c. 9 sqq.; 13 sqq.). Atque huiusmodi adpetitioni, — quid, qui, quando deceat (III, 15 extr.) — virtutes adiungi videntur, ut dandi et accipiundi liberalitas (*ἐλευθεριότης*), qua inter nimium et parum medium quiddam tenentes nec sui profusi nec parci sunt homines (ib. IV, 1 sq.)[2]), ut magnificentia (*μεγαλοπρέπεια* c. 4 sq.), magnanimitas (*μεγαλοψυχία* c. 9 sq.), praeterea, cum laudabili illa ambitione vel honoris amore (ib. 1124*a* 4 sq.) lenitas (*μεσότης περὶ τὰς ὀργάς*), sinceritas, modestia, velut media inter adrogantiam et dissimulationem (*ἀλλαζονεία — εἰρωνεία*), brevi, virtutes quae in hominum congressu valent eorumque consuetudine (l. l. c. 11 in. 12)[3]). Sic etiam in his rebus, in iocis et ludis, praestari vult Aristoteles, quid intersit inter ingenuos homines et eos qui servili animo praediti sunt, inter eruditos et ineruditos (ib. 1128*a* 20). Adulescens, bene moratus, politus cum sit atque ingenuus, sive dexter nominatur sive facetus, ubique ipse sibi quasi lex est (ib. 1128*a* 31: *ὁ δὴ χαρίεις καὶ ἐλευθέριος οὕτως ἕξει, οιον νόμος ὢν ἑαυτῷ*). — Nec nescit Noster, ut hoc quoque addam, verecundiae vim, quo homines ab indecore et male faciundo et dicendo revocantur. Pudore, quo erubescunt, quamvis ipse non virtus dici potest, non habitus (*ἕξις*) sed adfectus (*πάθος*), potentia tamen permulta honestatis continentur (ib. c. 15). — At illae virtutes, quae cum maxime singulos attinent homines, alia una absolvuntur, cuius disputationi Aristotelis Ethicorum quintum librum traditum habemus. Talis enim est iustitia (*δικαιοσύνη*), quatenus quotidiano in hominum convictu ad alterum quendam (*οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ πρὸς ἕτερον* [ib. 2.

---

[1]) Cf. ibid. 1115*b* 13 sqq.; 1116*b* 29 sq.; 14. 1119*a* 11 sq.; 15. 1119*b* 9 sqq. (coll. Rhet. I, 9. 1366*b* 11 sq.).

[2]) Ib. 1120*a* 9 sq.; *b* 5 sq.; 1122*b* 10; c. 4 in.

[3]) Cf. Eth. Eudem. III, 7.

1129 *b* 25) referri dicitur (1130 *a* 5 sq.): *τοῦτο γὰρ ἔργον χαλεπόν.* Aequitatem vero (*ἐπιείκεια*) si respicimus, tamquam aliud, haud quidem omnino sed melius quoddam iuris iustitiaeque genus (*ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου* ib. 1137 *b* 8—14) ad alteram venimus excelsioremque, ut ita dicam, honestatis regionem: non enim desideratur iustitia, ubi amore summa rerum obtinetur atque amicitia (Eth. N. VIII, 1. 1156 *a* 26): *φίλων μὲν ὄντων οὐδὲν δεῖ δικαιοσύνης.* —

Amor et amicitia (*φιλία*), — *ἀρετή τις ἢ μετ' ἀρετῆς* (ib. VIII, 1 in.), — mutua quidem, cuius utraque pars et mutuae sibi conscia est, benevolentia (c. 2 extr.), propter humanam naturam quasi fundamentum habetur domesticae vitae et familiae (§ 2)[1]. Est autem, ut docet Aristoteles, adulescentiae aetas omnium maxime inclinata ad amorem et amicitiam (ib. c. 3; Rhet. II, 12): unde praeclarissima, quam praebuit ille, harum rerum tractatio et uberrima videtur iis rebus, quae educandi doctrinae vel gravissimis sunt momentis. — Pertinet enim illud Aristotelis: '*διὰ τὸ συζῆν — εὖ ζῆν*' non modo ad eam veram et singularem amicitiam, quae praesertim in perfecta quadam animorum studiorumque aequalitate (*ἰσότης-φιλότης*) consistit (VIII, 4. 6), sed ad alteram etiam amicitiae speciem (*ἕτερον εἶδος . . τὸ καθ' ὑπεροχήν*), ex qua, cum sint inpares inter se homines hominumque functiones, tales caritatis exsistunt rationes (*ἀνάλογα*) quales sunt hae domesticae (*γαμική, τεκνοποιητική, δεσποτική*), inter parentes, parentes et natos, inter germanos, propinquos, familiares (ib. c. 8. 1158 *b* 11 sq.). In qua necessitudine et familiaritate, unde ne illa quidem erga servos excipitur, dici vix poterit, quantum apud Nostrum valeat educatio[2]. — Vult enim Aristotelis, ut una et procedendi et alterum alterius mutue inter se supplendi, brevi, honestatis quasi fontes adpareant esse ipsae 'conviventium' caritates — *οὐ κατα πάθος, ἀλλὰ καθ' ἕξιν,* — non pro eo ut adfectus sed pro eo ut habitus sunt[3]). Nam amorem vel amandi cupiditatem Aristoteles cum adfectu conparat, cum actione autem

---

[1]) Cf. Eth. N. VIII, 14; Pol. I, 3; III, 9.

[2]) Cf. Eth. N. VIII, 11 in.; c 14; IX, 2 (1164 *a* 24 sqq.); Pol. l. l. I, 2 et 3 in. c. 13 s. f.; Oek. I, 5 in.

[3]) Cf. Eth. N. l. l. VIII, 7. 1157 *b* 31; 10. 1159 *b* 12 sqq.; 11. 1160 *a* 7.

et habitu amicitiam. Accedit quod dilatatis finibus inter benefactores est et beneficia accipientes, inter docentes et discentes (l. l. VIII, 10. 15; IX, 1), in patria denique et civium communitate inter gubernatores et eos qui gubernantur[1]) (l. l. IX, 8. 1169*a* 18): *ἀληθὲς δὲ περὶ τοῦ σπουδαίου καὶ τὸ τῶν φίλων ἕνεκα πολλὰ πράττειν καὶ τῆς πατρίδος κἂν δέῃ ὑπεραποθνήσκειν.* — At summum virtutis perfectionisque fastigium eo continetur, quod Aristoteles — aureis quidem, ut ait Gifanius[2]), verbis — de sui ipsius praedicavit amore (Eth. Nic. IX, 8 sq.), cui summum illud quam maxime vindicet (1168*b* 10): *μάλιστα γὰρ φίλος αὑτῷ καὶ φιλητέον δὴ μάλισθ' ἑαυτόν.* Sese ipsum maxime diligendum est. In quibus dictis, quippe cum de vere nostra natura agatur, adeo nihil inest vitii, ut ad summum adspiret honestatem. — Iam inde ex loco laudato nulla nisi haec repetere velim quae tibi proponam Aristotelis verba (1170*a* 8): *ὁ γὰρ σπουδαῖος,* — inquit — *ᾗ σπουδαῖος, ταῖς κατ' ἀρετὴν πράξεσι χαίρει, ταῖς δ' ἀπὸ κακίας δυσχεραίνει, καθάπερ ὁ μουσικὸς τοῖς καλοῖς μέλεσιν ἥδεται, ἐπὶ δὲ τοῖς φαύλοις λυπεῖται* (cf. § 27 sq.). Amicitia virtute aestimatur, et amicorum virtus in eo consistit, ut ament (cf. ib. VIII, 10). — Respondet autem hic 'alter ipse vel ego', qualis amicus ille dicitur esse (*ἕτερος γὰρ αὐτὸς ὁ φίλος*), ei quod est melius ipsum meae propriae naturae et vitae (ib. 1170*b* 5 sqq.) Itaque summa amicitia est summae virtutis exercitatio (*ἄσκησις τῆς ἀρετῆς*). Homo nequam se ipsum non nisi contemnere potest: sicut bonus semet ipsum diligat necesse est[3]) (l. l. 7. 1168*a* 7: *στέργει δὴ τὸ ἔργον, διότι καὶ τὸ εἶναι*). — Nec nisi optumum ex amicorum usu quaeret is qui eo quo optumum perficiat semet ipsum in amore habet (ib. c. 9 s. f.): *τοῦτο δὲ γίνοιτ' ἂν ἐν τῷ συζῆν καὶ κοινωνεῖν λόγων καὶ διανοίας.* — Sequitur, id quod vidimus, ut homines oporteat inde a sua cupiditate (*πάθος*) ad veram sui diligentiam (*ἕξις*) adducantur[4]). Nam ex Nostri sententia (l. l. IX, 8) quantum inter se distant rationi convenienter vivere (*κατὰ λόγον ζῆν*) et animi perturbationibus deditum esse (*κατὰ πάθος*): tantum vera sui diligentia

---

[1]) Cf. Eth. N. VIII, 12 et 13 (1160*b* 24 sqq.); IX, 1 (1164*a* 24 sqq.).

[2]) Cf. Schol. a. l. l.

[3]) Cf. § 25 coll. Eth. N. IX, 4 (pr. 1166*b* 7 sqq.).

[4]) Cf. §§ 21. 24 sq.

a prava sua hominum cupiditate. Atque (ib. 1169 *a* 3 sqq.) sicut hinc mala omnia emanare videntur, sic illinc cum omnium communiter tum singuli cuiusque propria et summa bona exoriuntur (ib. *a* 10): *καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν, εἴπερ ἡ ἀρετὴ τοιοῦτόν ἐστιν.* —

Postulat autem natura humana, ut homines etiam ultra singuli cuiusque singularumque familiarum fines idonei fiant, qui perfecta honestate perfecte quam maxime uti possint (§ 2 sq.). Inde venire videmur ad eam communitatem qua vita et salus singulorum et omnium summorumque bonorum constantia continetur (§ 3 sq.) [1]. — Quodsi enim et rei publicae est et legislatorum cives bonos reddere hominesque probos, et educationis non minus et praeceptorum debet esse viros efficere civiles (*πολιτικούς*). Nam, ut ait Aristotelis (Eth. Nic. V, 3. 1130 *a* 2), optume dictum videri Biantis hoc (*ὅτι ἀρχὴ ἄνδρα δείξει*): 'virum declarabit magistratus'; atque ut omnes *ἄνδρες ἀγαθοί*, sic omnes et pro sua parte omnium quisque participes fieri debent similiter et imperandi et obediundi (Pol. IV, 14. 1332 *b* 25): *ὅτι ἀναγκαῖον πάντας ὁμοίως κοινωνεῖν τοῦ κατὰ μέρος ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι.* — Quem ad finem, — nam accuratius hanc sententiam explicare hoc loco alienum putamus, — tria sibi deposcit Aristoteles (Pol. VIII [V], 9 in.). Unum docet amorem esse (*φιλίαν*), h. e. amorem habendum in constitutam rei publicae formam (*πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν*), quae salva perfectione [2]) quantum maxime conservanda sit [3]), alterum (*δύναμιν*) summarum rerum gerendarum summam quam maxime facultatem (*δύναμιν μεγίστην*) [4]), tertium denique virtutem atque iustitiam (*ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην*). — Et haec quidem quam una cum virtute praeclarissime coniungit iustitia, — *ταὐτὸν τὸ δικαῖον κατὰ πάσας τὰς πολιτείας*, — dubitare non possumus quin ea sit quae latiore vocabuli sensu (Eth. Nic. V, 5. 1130 *b* 19 sqq.) virtus nuncupatur universa (*ἡ ὅλη ἀρετή*) et perfecta (*τελεία*),

---

[1]) Pol. I, 2. 13 extr.; Eth. N. I, 1 in.

[2]) Cf. Pol. II, 8 (1268 *b* 26 sqq.).

[3]) Cf. Pol. VII [VI], 6. 1320 *b* 32 sqq. coll. Eth. N. VIII, 1. 1155 *a* 22 sq.; 11. 1160 *a* 7 sqq.

[4]) Cf. §§ 31 et 36.

eo quod perfecte, i. e. perfecta ratione, virtute utatur (l. l. 3. 1129*b* 25 sqq.): *τελεία μάλιστα ἀρετή, ὅτι τελεία τῆς ἀρετῆς χρῆσίς ἐστιν*[1]). Est enim ea iustitia atque virtus, cuius vim exprimere (*τὸ μέσον*) ratio illa sine cupiditate (*ἄνευ ὀρέξεως νοῦς*) videtur, nimirum lex (cf. Pol. III, 16. 1287*a* 30 sq.; *b* 3 sq.): *ὁ γὰρ νόμος τὸ μέσον*. Ratio et lex una summam rerum gubernare et moderare debent (ib. *a* 28): *ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τὸν νοῦν μόνους, ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων προστίθησι καὶ θηρίον· ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας*[2]). Itaque iterum Nostro auctore hinc censebis: unde educatio exit, eo quodam modo revertitur. — Nemo quidem homo negabit virtutem inde una conprendi eam, quae ab Aristotele communi nomine prudentia adpelletur (*φρόνεσις*) quae, ut singula accuratius hic discernere omittam, cum universe ad omnia et varia rei publicae munera spectet (Eth. Nic. VI, 8 s. f.), eius qui praeest sola sit et propria virtus (Pol. III, 4. 1277*b* 25: *ἡ δὲ φρόνησις ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη*). — Gradatim ad perfectionem progredimur. Patet iustitia et amore et ea quae ad agendum accommodata est sapientia cum communem salutem tum summam honestatem perfici: quo quantum possit homines producere omni tempore educationi propositum est. — His rebus tractatis, restat ut scientiarum studia pari modo consideremus.

48. Admiratione commoti (*διὰ τὸ θαυμάζειν*), inquit Aristoteles (Met. I, 2. 982*b* 12), homines et nunc et primum inceperunt philosophari (§ 17). Nimirum, opinantes rem aliter se habere posse ad sciundum perveniamus necesse est, unde non aliter se habere possint. Sic, ut sentit Noster, ex ipsa dubitatione et admiratione veri inveniundi exoritur cupiditas, cur causam, ducem mentis[3]), sequamur (§ 33). Haud nimis saepe moneri potest id quod vult Aristoteles, ut quam maxime ipsum agere, cogitare, discernere doceatur adsuefiatque homo.

---

[1]) Cf. § 29. Trendelenburg, Hist. Beitr. II p. 355.

[2]) De lect. var. Spengel, Abh. d. Münch. Ac. V, 44 (Bekker, alt. ed. min. p. 90, 11).

[3]) Comenius, Didact. Magn. p. 119.

Causa, unde gignuntur, inde ex ea res cognoscantur necesse est (§§ 34 sq.), neque tam 'ex datis', ut Kantii verbis utar[1]), quam 'ex principiis' suam sibi cognitionem paret mens humana (§ 38 sq.). Nam nisi inde a principiis cognoscendis (ἐκ τῶν ἀρχῶν), cum una quaeque (ἐκ τῶν ἑκάστου ἀρχῶν), tum omnium summa scientia (ἐπιστήμη ἡ ἐκείνων κυρία πάντων) fieri non potest ut efficiatur (An. po. I, 9 sq. 76 *a* 14; *a* 17): καὶ γὰρ ἐπίσταται μᾶλλον ὁ ἐκ τῶν ἀνώτερον αἰτίων εἰδώς· ἐκ τῶν προτέρων γὰρ οἶδεν, ὅταν ἐκ μὴ αἰτιατῶν εἰδῇ αἰτίων[2]). Intellectu autem (νοῦς) scientiae principium (ἐπιστήμης ἀρχή) habemus (§ 42)[3]). —

Distinxit Aristoteles tria, ut ait, scientiarum (contemplativarum) genera. Res notissima est (Met. XI, 7. 1064*b* 1): τρία γένη τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν ἐστί, φυσική, μαθηματική, θεολογική[4]). — Quorum unum quod attinet, physicam, considerandas sibi proponere dicitur eas res, in quibus ipsis movendi inest principium (Met. VI, 1: ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως καὶ στάσεως ἐν αὐτῇ)[5]). Iam habemus, — quo κριτικόν illud exprimatur, — id quod necessarium sit ad cognoscendum corpora et magnitudines secundum eorum adfectus (πάθη), generationem et incrementum, motum denique per tempus et spatium, cum audiamus, pueros primum viros omnes patres et mulieres quascumque matres nuncupare, quorum posterius demum utrumque discernere (διορίζειν) discant (Phys. I, 1 extr. coll. de caelo I, 1 in.). Eodem loco, ut ante vidimus, physicarum initio, progressio declaratur, qua inde ex iis quae sub sensus cadunt ad rerum naturam cognoscendam, ad elementa et principia (ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα) venitur (cf. § 39). — Desideramus vero id quod proprie διδακτικόν, artem docendi in his rebus explicare debebat, cum Aristoteles non tam ad illud videatur quam ut ipsa res explanetur spectare. — Haec autem quemadmodum conciliari possint, id non nostrum erit accuratius hic disputare. —

---

[1]) Kant, Methodol. c. III.
[2]) Cf. §§ 34 sq. (Trendelenburg, El. log. § 68).
[3]) An. po. II, 19 extr. coll. Eth. N. VI, 6 et 9.
[4]) Cf. Met. VI, 1. 1026*a* 18.
[5]) Cf. Phys. II, 1.

Medium quiddam inter tres disciplinas mathematica tenet, qua, materie relicta, corpora non nisi ad formas quod attinet tractari videntur, cogitatione nimirum a motu quae seiuncta sunt (*χωριστὰ τῇ νοήσει κινήσεως*) vel potius seiungi possunt (Met. l. l. coll. VI, 1. 1026 *a* 7—15: *ἔστι καὶ ἡ μαθηματικὴ θεωρητική . . ὅτι μέντοι ἔνια μαθήματα ᾗ ἀκίνητα καὶ ᾗ χωριστὰ θεωρεῖ, δῆλον*). [Quae ibidem paullo post leguntur (*a* 14) ex contrario dicta videntur: *τῆς δὲ μαθηματικῆς ἔνια περὶ ἀκίνητα μὲν οὐ χωριστὰ δ' ἴσως, ἀλλ' ὡς ἐν ὕλῃ*. At nihil inesse contrarium, expositione libri XIII (M) collata facile intelleges. Quod vero ut accuratius hoc loco expediatur a nobis abesse debet, ne a proposito longius discedere videamur][1]. At pertinet huc id quod supra quaerebatur (§ 46), unde puer mathematicus quidem effici posset, sapiens aut physicus non posset (Eth. N. VI, 9. 1142 *a* 18): *ἢ ὅτι τὰ μὲν δι' ἀφαιρέσεώς ἐστιν, τῶν δ' αἱ ἀρχαὶ ἐξ ἐμπειρίας· καὶ τὰ μὲν οὐ πιστεύουσιν οἱ νέοι ἀλλὰ λέγουσιν, τῶν δὲ τὸ τί ἐστιν οὐκ ἄδηλον*. Quippe quae experientia quidem minus egeat mathematica disciplina, per abstractionem vero (ab aliis nimirum fortuitisque rerum notis) singulam formam (*τί ἐστιν*), tamquam substantiam — non re vera sed cogitatione solum ex rebus sensibilibus seiunctam (Met. XIII (M), 2) — tanta perspicuitate ante oculos ponat, ut ex sensuum evidentia etiam puerilis animi intellegentia facile percipiatur. Inde enim repetenda est demonstrandi vis, qua tantum ad persuadendum valet mathematica disciplina. — Sane aliud videtur inductione (*διὰ τῆς ἐπαγωγῆς*) fieri, unde nobis evidentior (*ἐναργέστερος*) esse dicitur (An. po. II, 23 extr.). Nec denuo monuerim nisi ut probem, quantum Noster vel etiam in diversis rebus fidem sibi ducat ex sensuum evidentia collectam, qui l. l. (Eth. VI, 9 extr.) ipsam mentis agitationem, eam qua agendi finis concipiatur (*φρόνησις*) ad *αἴσθησιν* referat[2]. — Est praeterea in natura huius disciplinae positum, ut construendo ea quae porro cognoscenda discendaque sunt in rerum cognitarum quasi firmis solidisque fundamentis cum supra (§ 39) dictis a principio conveniat (Top. VI, 4). Quam

---

[1]) Cf. de an. I, 1. 403 *b* 11; de part. an. I, 1. 641 *b* 10 (Trendelenburg a. de an. III, 4 (§ 6). 429 *a* 18 sq.; Bonitz a. Met. XIII (M), 3).

[2]) Cf. §§ 38 s. f. 39 s. f. (coll. Paraphrastes a. l. l. Zell, II p. 225 sqq.)

ob rem quae usque ad infinitas caeli regiones auferens sidera etiam ad mensuram et magnitudinem — ideoque pulcrum aliquid (Poet. 7. 1450*b* 37): *τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστί* — definire studet in iis habenda est, quae ad animi culturam vel optume valent, cum omnino, tum initiis elementisque idonea, quae mentem acuat et memoriam confirmet (de mem. et rem. 2, 452*a* 2 sq.): quoniam quae ordine quodam collocata sunt (*ὅσα τάξιν τινὰ ἔχει, ὥσπερ τὰ μαθήματα*) melius possunt animo teneri. —

Unius autem scientiae est ens, quatenus ens est, et quidquid ei tamquam enti per se insit contemplari (Met. IV, 1 in.): *Ἔστιν ἐπιστήμη τις ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό.* — Notissimis his Aristotelis verbis eam quae vulgo metaphysica vocatur disciplinam definitam habemus. Esse enim, ut in caeterarum nulla universe de hac re (*περὶ τοῦ ὄντος ᾗ ὄν*) consideretur, sed illae quidem quasi 'entis' partem aliquam abscindentes, velut mathematicae (*αἱ μαθηματικαὶ τῶν ἐπιστημῶν*), id quod ei accidat (*τὸ συμβεβηκός*) cum speculentur, huic nostrae scientiae summum aliquid explorandum esse ac primum, rerum principia et supremas causas. Inde quae supra laudavi verba (An. po. I, 9) in hanc praecipue scientiam cadunt, cui id proprium est, ut simpliciter ex prioribus quibus nulla priora sunt (*ἐκ τῶν προτέρων*) vel, ut cum Boethio vertar, non ex causatis causis (*ἐκ μὴ αἰτιατῶν αἰτίων*) sciatur. Itaque ipsa ex Nostri sententia omnium summa et prima est — *ἡ πρώτη φιλοσοφία,* — cui ante omnia subiecta sint ea quae — *χωριστὰ καὶ ἀκίνητα* — materie et motu omnino carent[1]). Proprie igitur id quod absolute et universum et necessarium est sibi propositum habet quae aeternarum denique divinarumque rerum doctrina (*θεολογία*) nuncupatur[2]) (Met. IV, 2. 1004 *b* 15): *οὕτω καὶ τῷ ὄντι ᾗ ὂν ἔστι τινὰ ἴδια, καὶ ταῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν τοῦ φιλοσόφου ἐπισκέψασθαι τἀληθές.* Hoc vero quod unius scientiae (*μιᾶς ἐπιστήμης*) habetur esse (1005*a* 5) patet eo contineri quod a principio ingenii humani culturae tamquam fastigium inponit (§§ 34. 39). Quod enim, ait, philosophi vere proprium esse (*ἔχειν λέγειν τὰς βεβαιοτάτας ἀρ-*

[1]) Met. VI, 1. 1026*a* 18 sq. coll. XI, 7.
[2]) Cf. Schol. Acclep. Brandis ed. 519*b* 19; 31 sq.

χὰς τοῦ πράγματος l. l. 1005*b* 8 sqq. cf. a. § 35), inde ab eo, inquam, sciundi verique inveniundi studium expleatur necesse est, quod omnibus nobis a natura insitum est: unde Aristoteles (Met. I in.): *πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει.* At — qua de re hic maxime agitur — vix erit qui metaphysicam illam Aristotelis ea qua nobis tradita est forma ad docendi aliquam rationem tractatam esse contenderit, quamquam in hac quidem praestantissima disciplina (*τιμιωτάτη*) illud discendi principium ante omnia debebat valere. Convenit enim cum ipsa doctrina docendi quodam modo facultas: quoniam Noster docere eos dicit qui cuiusque rei causas (*τὰς αἰτίας*) adferant (Met. I, 2. 982*a* 29). Hinc vero, ut alibi vidimus, iterum ex singularum rerum cognitione ad cognoscendum summum quoddam et universum producimur, quo subiecta quae sunt omnia (*πάντα τὰ ὑποκείμενα*) conprenduntur: ita ut ultima ratione unum idemque (*καὶ γὰρ τἀγαθὸν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἓν τῶν αἰτίων ἐστίν* l. l.) summam notionem conplectatur atque finem propositum (§§ 39 sq.). Et talem scientiam habere ea virtute continetur quae philosophi nostri haud exigua laude laudatur. — Sapientiam igitur (*ἕξιν θεωρητικήν*) Nostro auctore ut breviter nunc consideremus superest: nec vero laudandi causa, — nam ubi gentium vituperatur? — sed ut paullo etiam accuratius intellegamus, quid sit ad cultum ingenii humani unum illud atque summum, unde ex similitudine quadam ad divinam naturam adspirare dicamur (§ 42)[1]. — Quem ad finem inde ex Metaphys. l. l. (I, 2) quae huc repetantur aptissima aliqua videntur.

49. Quodsi omnium consensu, ut ait Aristotelis, sapienti tribuendum sit, primum scientiam habere quam maxime universalem (*μὴ καθ᾽ ἕκαστον ἔχοντα ἐπιστήμην*), deinde rerum difficilium cognitionem (*τὰ χαλεπὰ γνῶναι*), cum intellegendi subtilitatem (*ἀκρίβειαν*), tum pro eius virtute docendi facultatem (*διδασκαλικώτερον τῶν αἰτίων*), sciundi denique ipsius sciundi gratia amorem (*τὴν αὑτῆς ἕνεκεν καὶ τοῦ εἰδέναι χάριν*), unde sapientiae praecipue conveniat principatum tenere (*οὐ γὰρ δεῖν ἐπιτάττεσθαι τὸν σόφον, ἀλλ᾽ ἐπιτάττειν*): haec

[1]) Cf. Eth. N. X, 7 sqq. (coll. M. Mor. I, 35).

omnia videri plurimum et necessario exsistumanda esse de illa quae sit prima atque summa scientia (cf. Met. I, 2. 982*a* 8 sqq.). Habenti enim universalem scientiam (*τὴν καθόλου ἐπιστήμην*) necessario inesse, et omnia huic subiecta (*τὰ ὑποκείμενα*) una quodam modo scire (ib. *a* 21 sqq.) et difficillima fere cognoscere, nimirum ea quae (*τὰ μάλιστα καθόλου*) a sensibus longissime sint remota (*a* 23 sqq.)[1]. — Esse deinde illam scientiam omnium vel subtilissimam, quantum maxime ad prima quaedam spectet, neque eo minus ad docendum idoneam (*διδασκαλικήν*), quo magis in rerum causis speculandis versetur: *οὗτοι γὰρ διδάσκουσιν οἱ τὰς αἰτίας λέγοντες περὶ ἕκαστον* (ib. *a* 25 sqq.)[2]. Cuius denique scientiae ait scire atque intellegere eius ipsius gratia maxime proprium esse, quae id tentet quod scientia maxime conprendatur (*τὸ μάλιστα ἐπιστητόν*): fore enim, qui scientiam sciundi gratia eligant, ut eam potissimum eligant, cur et unde reliqua omnia cognoscantur (ib. *a* 30 sqq.). Talem igitur esse cui principatus debeatur, et omnium quidem maxime, quae cognitum habeat, quapropter sit agendum unum quodque (*τίνος ἕνεκέν ἐστι πρακτέον ἕκαστον*): id quod bonum sit in singulis quibusque rebus, optumum omnino in omni natura (*ὅλως δὲ τὸ ἄριστον ἐν τῇ φύσει πάσῃ*). Quae cum ita sint (*ἐξ ἁπάντων οὖν τῶν εἰρημένων*), nomen illud sapientiae in eam cadere scientiam oportere, quae sit principiorum primarumque causarum speculatrix (*θεωρητική*): de quibus unum sit et bonum illud (*τἀγαθόν*) et finis propositus (*τὸ οὗ ἕνεκα* ibid. *b* 3 sqq.)[3]. — Satis haec. Et satis quid sibi voluerit Aristoteles ex omnibus adhuc dictis (*ἐξ ἁπάντων τῶν εἰρημένων*), ut eisdem verbis utar, liquet nec nisi pauca habeo quae exponendi gratia addam. Scientia, de qua agitur, singula quae sensibus occurrunt et inde ex experientia nobis notiora et priora sunt superata quodam modo videntur, cum ad universalia quae sunt natura priora et a nobis remota magis magisque progredimur. Haec satis clara sunt nec difficulter quae de subtilitate feruntur intelleges. Nimirum,

---

[1]) Cf. § 38 (coll. Phys. VII, 3. 247*b* 5 sq.; Trendelenburg, El. log. § 6).

[2]) Cf. Met. VII, 4 in.; c. 5. 1031*a* 1; An. po. I, 27. 87*a* 34 (Trendelenburg a. de an. comm. p. 186 sq.).

[3]) Cf. § 42.

subtilitatem sibi requirit quae (ἐξ ἐλαττόνων) abstrahendo efficitur scientia maiorem quam ea quae (ἐκ προσθέσεως) determinando fit, ut logici dicunt. Cuius rei exemplum fert arithmeticam et geometricam disciplinam, quae quamvis utraque (ἐξ ἀφαιρέσεως) abstractione conficiatur, illi tamen, arithmeticae, subtilitatis (ἀκριβείας) plus poterit quam huic inesse, quoniam ad notionem magnitudinis ea extensionis accedere videtur (cf. An. po. I, 27). Inde etiam ad docendum aptissima dici potuit quae non experientia sed contemplatione duce in perscrutandis explorandisque rerum causis versatur. — Descripsit autem philosophus noster sapientem, qui ab omnibus quasi summo honore dignus habeatur. Is enim qui sciundi amore commotus eo pervenit perfectionis, ut summa quam maxime ac difficillima animo conplectatur praeter omnes etiam idoneus est, qui verum et bonum quod ipse intellexerit, caeteros et cognoscere doceat et facere iubeat. Ex aequo enim eum inter omnes tantum excellere dices quantum aliis praestet sua virtute, qua non tam humanum quam divinum aliquid consequitur. Hinc iterum monendum est, id quod ad extremam loci sententiam pertinet, qua videtur illud significari summum atque optumum, quod est in rerum universitate movendi principium (§ 42 coll. Met. XII, 7. 1072*b* 30): τοῦτο γὰρ ὁ θεός. — Cui divino aeternoque intellectui divinum aliquid et aeternum respondere humani generis proprium vidimus. Inde, velut in una sapientiae virtute, quodam modo inter se divina atque humana (ἐνεργείᾳ) occurrunt, ita quidem ut summa perfectio dei tantum, nostri autem sit ad divinam perfectionem, quantum fieri possit, adspirare (Eth. N. X, 7. 1177*b* 27): οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει. — 'Der Mensch', ut ait poeta, 'kann nach der göttlichen streben' [1]). — Atque nisi hoc, quid aliud Aristotelis summum humanae educationi propositum habes? — Fuere qui ad homines bene educandos despicatui nimium quantum scientiarum literarumque culturam sibi duxerint, cum discrepare eis inter se viderentur scientiae honestatisque virtutes, humanarum, ut putabant, et divinarum rerum studia, ideoque huc et illuc quasi in diversa male trahi nostra natura. Quorum ex numero, ut

[1]) Cf. Schiller, Werke I p. 366.

alios omittam, Rousseau solum commemorare velim, illum quidem qui, ut occasione data dicam, ab ipso principio videtur Nostri quam maxime contrarium sentire: 'Tout consiste à ne pas gater l'homme de la Nature en l'appropriant à la société'[1]. — Quantum sua doctrina omnibus istius modi sentientibus antecellit Aristoteles, qui nullo modo honeste agendi et intellegendi sciundique virtutes dirimi posse censuerit, quoniam neque honestas vere exsistere sine boni scientia possit nec sine honestate illa qua perficiatur sapientia (§ 36. 40). — Nec etiam nescit Aristoteles istam quae fieri potest discrepantiam (Pol. IV, 15). Quodsi vero natura primum duci videmur, consuetudine deinde in alteram quandam naturam converti, disciplina denique institutioneque per causas doceri et bonum agere et verum cognoscere: absit necesse est ulla discrepantia ex omnium rerum optumo concentu (§§ 9. 10. 32. 42). — Nec lubet repetere quae antea satis disputata sunt. — At nunc fortasse praeclarius elucebit hoc Aristotelis (Eth. X, 7 l. l.). Minime, inquit, humana nos sapere oportet, ut quidam monent, cum simus homines, nec mortalia, cum mortales simus: sed quantum fieri possit rebus inmortalibus aeternisque studere atque omnia facere, ut ei quod in nobis inest optumum (*κράτιστον*) convenienter vivamus. Hoc enim, ut porro addit, quod nostrum cuiusque a natura proprium est (*τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει*) item et optumum cuique est et iucundissimum (*κράτιστον καὶ ἥδιστον*). Homini ergo ea vita optuma est quae rationi conveniet et intellectui (*κατὰ τὸν νοῦν βιός*), si quidem hoc maxime est homo: haec igitur vita est beatissima (*εὐδαιμονέστατος*). — Quid plura? est maxime esse hominem id agere quo quasi dei mortales videamur (Eth. Nic. X, 8. 1178 *b* 18 sqq.). — Vides quo apud Nostrum pervenerit ars illa et disciplina Socratis. Perfectio humana non tam eo continetur, ut mansuefiat homo, qui animal sit ex Platonis sententia omnium divinissimum et placidissimum (*θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον*), subigenda omni feritate, quam eo potius ut ad summam humanitatem adsuefiat homo, excolendo supplendoque e vera sua divinaque natura. — Hinc ad nos velut ex fonte divino summa emanabit beatitudo: *ἡ εὐδαιμονία θεωρία*

---

[1]) Cf. Voltaire sur Rousseau, Lettres IV. No. 5 (tom. III, 26).

τις (§ 10 extr.). Contemplatio quaedam est beatitudo. Itaque homo sapiens, cum muneribus fungatur menti consentaneis et hanc colat, et animo optume adfectus (διακείμενος) et diis esse carissimus videtur (ib. c. 9 s. f.). Namque, ait, si dii inmortales humanarum rerum, ut videantur, aliquam curam habeant, eos probabile fore hoc praecipue iuvari, quod optumum sit (τῷ ἀρίστῳ) eisque ipsis maxime cognatum (τῷ συγγενεστάτῳ — τοῦτο δ' ἂν εἴη ὁ νοῦς —), et probabile hominibus prospicientes iis delectari, qui illud amore maxime conplectantur plurimique faciant, et gratiam iis referre et bene reddere (ἀντευποιεῖν), velut rerum quae ipsis carae dilectaeque sint curam habentibus et recte (ὀρθῶς) et pulcre (καλῶς) agentibus [1]. — In perfecta virtute actu conveniant necesse est una honestatis optumarumque rerum fructus, cum negotio vacantes otio optume fruamur. Quo frui iam dictum est nos scire debere (§ 40 sq.). Itaque maxime scientiae est, scientiae autem maxime sapientis, cui omnium optume otio frui contingit (ib. 1179 *a* 29): ὅτι δὲ πάντα ταῦτα τῷ σοφῷ μάλισθ' ὑπάρχει, οὐκ ἄδηλον. θεοφιλέστατος ἄρα. Sapiens deo est carissimus. Verisimile, inquit, eundem quoque beatissimum esse: ita ut sapiens hoc modo homo sit maxime beatus. —

Sic Aristoteles. — Unde est orsa in eodem quodam modo finitur dissertatio. — Ex caeca gignendi et crescendi necessitate, quae natura fit, usque ad claram sciundi intellegendique veritatem omnia gradibus ad id unum nituntur, ut pro sua destinatione bonus fiat homo atque beatus. Hinc omnino illa concinnitas, qua opus educandi natura, more, doctrina perficiatur oportet. Quod enim a potentia, ut ita dicam, ad actum veniri debet, quid est aliud nisi ea quae veterum Graecorum artificio praecipue insita videbatur, libertatis pulcritudinisque forma, illa imperante ratione et mente, haec praestantissima virtute perfecta. — Sapiens quasi omnium maxime pulcer (καλός) est, quippe cuius virtus perfecta honestate contineatur: est omnium maxime liber (ἐλεύθερος), cum uni pareat

[1] Cf. § 47 (Eth. N. IX, 8 sq.).

veritati, qua eo minus servus (*δοῦλος*) est, quo melius in otio vivere (*ἐν βίῳ τελείῳ*) et summa ac sincera voluptate perfrui potest. Is quidem non nescit bonis vel externis vel animi corporisque propter ingenii cultum recte i. e. cum ratione uti, valetudinis prosperitate et robore, secundis vitae conservandae exornandaeque fortunis, amicitia denique et amore cum ex aliorum hominum tum ex sui ipsius consuetudine. — Quodsi Aristoteles similem esse putat animi humani vitam rei publicae bene constituae: unitati quae est animi ea respondebit, quae in fine proposito consistit, in humanam culturam ubi respicimus. Penes intellectum hic et illic summum est imperium. Nimirum virtus una est norma ac regula, qua singulis atque in communi civitate omnibus bonum fieri debet id quod est absolute bonum. Quam ob causam si in perfecta re publica idem valet vir probus atque civis bonus, civitas — sicut familia simili quadam ratione — optuma adparet esse ea, qua cives filiique familiares eo beatiores fiunt, quo magis homines vel humaniores esse instituuntur. — Fit enim, ut cum Aristotele loquar, non externorum bonorum opera ut crescere et maturescere possint ea quae a natura nobis insita sunt bona ac pulcra, nec casu profecto aut forte fortuna, ut honesti simus: sed potius eo quod penes nos est arbitrio, exercendo, volendo, sciundoque: itaque quoniam scientiae est liberaeque voluntatis (*ἐπιστήμης καὶ προαιρέσεως*) esse probum (*τὸ σπουδαῖον εἶναι*), probum ac bonum fieri opus est educationis (*ἔργον παιδείας*), si quidem supplere vult omnis ars omnisque disciplina id quod naturae deest.

